4° Diss. 3148(12
Diss. 4° 3148 12

EXCELSA COPALIS DIGNITAS ILLVSTRATA,

ADIECTIS

OSITIONIBVS THEOLOGICIS

QVAS

AD MAIOREM DEI GLORIAM

PATROCINANTIBUS PATRIAE TVTELARIBVS

SS. RVPERTO

ET

VIRGILIO

IN CONVENTV SALISBVRGENSI FRATRVM MINORVM S. P. FRANCISCI STRICTIORIS OBSERVANTIAE RECOLLECTORVM AD BEATISSIMAM VIRGINEM IN COELOS ASSVMTAM

PRAESIDE

P. F. EVSEBIO EBERTH

S. S. THEOLOGIAE IN DICTO CONUENTV LECTORE ORDINARIO

DEFENDENDAS SVSCEPERVNT

P. F. CAIETANVS MAYER

ET

P. F. VRSINVS RAVNER

EIVSDEM ORDINIS, AC THEOLOGIAE CANDIDATI.

ANNO AERAE VULGARIS MDCCLXIX. DIE MENSIS IVLII

CVM PERMISSV SVPERIORVM.

SALISBVRGI,

Typis Ioann. Ioſ. Mair, Aul. Acad. Typ. et Bibl. p. m. Haeredis.

Honora Deum vt omnium auctorem et Dominum; Epiſcopum vero vt Principem ſacerdotum, imaginem Dei ferentem; Dei quidem, propter Principatum, Chriſtum vero, propter ſacerdotium. Honorare oportet et Regem; nec enim Rege quiſquam praeſtantior, aut quiſquam ſimilis ei in rebus omnibus creatis: nec Epiſcopo, qui Deo conſecratus eſt pro totius Mundi ſalute, quicquam maius in Eccleſia. Nec inter Principes quiſquam ſimilis Regi, qui in pace et optimis legibus ſubditos moderatur. Qui honorat Epiſcopum, a Deo honorabitur; ſicut qui ignominia afficit illum, a Deo punietur. Si enim iure cenſebitur poena dignus, qui aduerſus Regem inſurgit, vt qui violet bonas legum conſtitutiones; quanto putatis grauiori ſubiacebit ſupplicio, qui ſine Epiſcopo quid volet agere, concordiam rumpens, et decentem rerum ordinem confundens? Sacerdotium enim eſt omnium bonorum, quae in hominibus ſunt, apex; qui aduerſus illud fuerit, non hominem ignominia afficit, ſed Deum, et Chriſtum Ieſum primogenitum, qui natura ſolus eſt ſummus ſacerdos Patris. Omnia igitur veſtra decenti ordine perficiantur in Chriſto. Laici Diaconis ſubiiciantur; Diaconi, Presbyteris; Presbyteri, Epiſcopo; Epiſcopus, Chriſto, vt ipſe Patri. Verba ſunt S. Ignatii *Epiſt. ad Smyrn. Tom. II. Bibliotb. Maxim. Patr. Edit. Lugdun.*

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

INTRODVCTIO.

Indigna prorſus mihi res videtur, quod Theologorum nonnulli, dum ipſis *de Locis Theologicis* ſermo eſt, ſilentes fere praetereant auctoritatem *Epiſcoporum* (ſi horum in *Conciliis* conſeſſum excipias) aut nonniſi breuiſſimis verbis eam deguſtent; cum tamen ampliſſima illa ſicut eſt in *Eccleſia*, ita et in *Theologia* eſſe debeat. Vt enim Magnus loquitur Cyprianus: *Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituitur, vt omnis Eccleſiae actus per eosdem gubernetur.* (a) Epiſcopos non *Apoſtolorum* tantum, ſed et ipſius *Vnigeniti Filii Dei* nomine et auctoritate indutos eſſe, Patrum eſt ſententia. *Epiſcopi Apoſtoli nominantur*, verba ſunt Barcinonenſis Epiſcopi S. Paciani, *Sicut de Epaphrodito Paulus ediſſerit etc. Deus illud ius nobis vt Apoſtolorum cathedram tenentibus non negabit, qui Epiſcopis etiam Vnigeniti ſui nomen indulſit. Nemo Epiſcopum hominis contemplatione deſpiciat. Recordemur, quod Petrus Apoſtolus Dominum Epiſcopum nominarit. Quid Epiſcopo negabitur, in quo Dei nomen operatur?* (b) Et digniſſimus in *Antiochena* cathedra D. Petri Succeſſor S. Ignatius ipſam Dei Patris perſonam in Epiſcopo reveretur, inquiens: *Epiſcopus typum Dei Patris omnium gerit.* (c) Scilicet *Chriſtus* animarum noſtrarum Epiſcopus ad ſummum ſacrae poteſtatis faſtigium, et ad infinitam quamdam Sacerdotalium functionum pariter, et regiminis ec-

(a) *Epiſt. XXVII.* (b) *Epiſt. I.* (c) *Epiſt. ad Trallianos.*

Digitized by Google

eccleſiaſtici opulentiam Epiſcopos traduxit. Dignum quisque Theologorum iudicat, quod de *Sanctorum Patrum* auctoritate diligentius in Theologia agatur; merito namque eos intelligimus Doctores, quos Gentium Doctor memorat a *Deo* Eccleſiae datos ad conſummationem Sanctorum, in aedificationem corporis *Chriſti*. (d) Sed nec minus, quin imo amplius eundem in finem poſuit Spiritus ſanctus *Epiſcopos* regere Eccleſiam *Dei*. Aeque proin, ſi non amplius, Theologus mentis aciem in Epiſcopos figere debet. Et haec eſt ratio, quae me ad exiles has pagellas conſcribendas induxit, praeſertim quia et rei ſeries id a me expoſcere videtur; cum enim anno ab hinc vno iam elapſo inter locos theologicos explanandos mihi concilia aſſumſerim, in quibus Epiſcopi auctoritate iudiciali praediti oracula promunt; quae de illorum auctoritate vlterius obſeruanda ſunt, merito illis ſubnectenda videntur. Stimulos addidit quorundam obtrectatio, qua inter propoſitiones meas theologicas, dictae diſſertationi adnexas, illam praeſertim ſugillabant, quae immediate a *Chriſto* deſcendentem Epiſcoporum auctoritatem ſtatuèbat. Firmis itaque fundamentis eamdem inniti propoſitionem, hiſce exhibere conabor. Nec ad inutiles ſpeculationes ablegandam eſſe hanc materiam quis dixerit, qui perpenderit, quam graues inde deduci queant ſequelae, et quam acri contentione ea in Concilio Tridentino fuerit agitata, Gallis Hiſpaniſque Praeſulibus ex vna, ex altera parte Italis, diutius pariter ac feruidiſſime altercantibus. Et licet Lainius Praepoſitus Generalis Societatis Ieſu in favorem ſententiae Italorum integrum habiti conuentus tempus, nempe diem vigeſimum Octobris anni ſexageſimi ſecundi ſupra milleſimum quingenteſimum inſumſerit, omnibus viribus ſuam congregatis Patribus comprobare nitens opinionem, et aduerſae ſubruere fundamenta, minime tamen efficere potuit, vt res ad Italorum vota decideretur; quin potius, agente praeſertim Cardinali Lotharingo, canones ſeptimus et octavus, qui videbantur Gallorum ſententiae adverſari, pluribus vicibus fuere reconcinnati. Ac demum quaeſtio indeciſa fuit relicta. Id nobis exhibent Pallauicinus (e) et Natalis Alexander. (f) Agentibus vero de auctoritate epiſcopali, a Concilio Tridentino abiectus error, a nobis quoque reprobandus primo occurrit, quo par cum Epiſcopis tribuitur dignitas ac poteſtas cuilibet Presbytero. Primus, qui

(d) *Ephſ. IV.*
(e) *Hiſtor. Concilii Trid. Lib. XVIII. Cap. XIV. et XV. Item Lib. XIX. Cap. VI.*
(f) *Hiſtor. Eccleſiaſt. Tom. VIII. Diſſert. XII.*

Digitized by Google

qui falſitatem iſtam tuitus eſt, nobis ex Seculo IV. ſeſe offert Aerius (g) de quo ſcribit ſanctus Epiphanius. „ Eſt illius dogma ſu„ pra hominis captum furioſum et immane. Imprimis enim qua„ nam, inquit, in re Presbytero Epiſcopus antecellit? Nullum in„ ter vtrumque diſcrimen eſt. Eſt enim amborum vnus ordo, „ par et idem honor ac dignitas. Manus imponit Epiſcopus, im„ ponit et Presbyter: Baptizat Epiſcopus, idem facit et Presbyter: „ Diuinum omnem cultum adminiſtrat Epiſcopus, non minus id „ facit et Presbyter: Epiſcopus in throno ſedet, ſedet et Presbyter.“ (h) Aerium poſtea ſecuti ſunt Marſilius Patauinus (i) Albigenſes et Waldenſes (k) Wicleffus (l) Caluinus (m) cuius, vtpote parentis, doctrinam pluribus firmare tentarunt Salmaſius (n) et Blondellus (o) Lutherus quoque huic errori fauiſſe videtur, cum et Laico tribuat Epiſcoporum munia. (p) Mosheim (q) hac in parte ſuam ſententiam ita pronunciat. Primo contendit, controuerſiam hanc ex Sacris Literis dirimi haud poſſe. Fatetur, antiquiſſimam eſſe hanc diſtinctionem Epiſcopos inter et Presbyteros, et ab Apoſtolis ſuo modo deriuatam. Poſtquam enim iſti, inquit, quamdam Eccleſiam collegiſſent, e comitibus vel diſcipulis aliquem in ea relinquebant, qui omnia tanquam Rector gubernaret; id quod tunc temporis, ait, neceſſitas exigebat. Sed hac ratione factum eſſe, aſſerit, vt poſteriori tempore, vbi amplius neceſſitas haud exiſteret, talis Rector perſeueraret ampliore in coetu gaudens auctoritate. Vnde, infert, originati ſunt Epiſcopi. Concludit demum, iuris diuini et perpetui Epiſcoporum ordinem non eſſe. (r) Sicque errorem

 ſuo

(g) Fuit is Euſtathii Sebaſteni Sodalis, poſtea aemulus. Presbyter ab ipſo ordinatus et xenodochio praefectus, ambitione ductus ad Epiſcopatum aſpirabat. Spe deluſus, inuidia furens, Arianorum ſectae ſe ſociauit, addens alios errores, inter quos praecipuus, quem hic commemoramus.

(h) *Haereſi LXXV.* (i) Ita refert *Bernardus Lutzenb. de illius haereſi.*

(k) Hoc teſtatur *Natalis Alexander Hiſt. Eccleſ. Secul. IV. Diſſert. XLIV.*

(l) *Trialogo IV.* (m) *Lib. IV. Inſtit. Cap. IV.* §. 2.

(n) *Lib. de Epiſcopis Walonis Meſſalini nomine edito, et de primatu Papae.*

(o) *Apologia S. Hieronymi.* (p) *Lib. de Captiv. Babylon. de Sacramento Ordinis.*

(q) *Inſtit. Hiſtoriae Eccleſ. Novi Teſtamenti Secul. I. Part. II. Cap. I.* §. 5. *et ſeqq.*

(r) *L. cit.* §. *X. ait*: „ Iuris itaque diuini qui putant Epiſcoporum ordinem, ſi „ id tantum dicere vellent, neceſſarium fuiſſe, vt in primis Eccleſiis vnus „ aliquis Doctor anteiret reliquos, tolerari poſſent. At aeterna lege qui cen„ ſent Epiſcoporum iura munita eſſe, niſi vel mandatum proferant Domini, „ vel doceant, nullum] ſine his Chriſtianorum coetum permanere poſſe, vel „ denique cum multo minoribus incommodis praerogatiuam Epiſcoporum,

„ ac

ſuo annutu confirmat, quem pluribus confutatum legere poteris apud Petauium (s) et Natalem Alexandrum. (t) Id miramur, quod Michael Medina Aeriani erroris non tantum inſimulet S. Hieronymum, ſed et SS. Ambroſium, Auguſtinum et Chryſoſtomum, itemque Sedulium, Primaſium, Theodoretum, Oecumenium et Theophylactum. (v) Paucis falſam doctrinam exſufflabimus.

ARTICVLVS I.

Demonſtratur, Epiſcopos iure diuino Presbyteris ſupereminere.

I. Eſſe in Epiſcopatu plenitudinem, ſummumque apicem Sacerdotalis poteſtatis et ſpiritualis imperii, ex Sacris Literis haud obſcure deducimus. Et quidem diuerſam fuiſſe atque ampliorem Apoſtolorum auctoritatem, ac eam, qua reliqui *Chriſti* diſcipuli pollebant, nemo negauerit, cum manifeſte id innuat ſacer textus. Ex reliquis ſiquidem diſcipulis ſpecialiter illos ſelegit diuinus Magiſter, poſtquam in oratione pernoctaſſet, vt refert Euangeliſta. (a) Quo quidem inſtruimur, arduum habuiſſe *Chriſtum* negotium huius electionis, cui preces tam vberes praemittendas cenſuit, vt nimirum Principes ſuper omnem terram conſtitueret, quibus tanquam fundamentis erigenda a ſe inniteretur Eccleſia, quorumque quaſi brachiis immaculata ſua ſponſa ſuſtentaretur. Vbi poſtmodum hac ſua dignitate infelix praeuaricator Iudas excidit, Apoſtolorum Princeps vniuerſam fidelium multitudinem conuocauit, vt ex diſcipulis eligeret, qui Epiſcopatum Iudae acciperet. Deo dirigente ſortes, S. Mathias connumeratus fuit cum undecim dignus Apoſtolus. (b) Nunquid ſi par reliquorum diſcipulorum, cum Apoſtolorum, auctoritas fuiſſet, *Chriſtus* ac ſacer fidelium coetus ſolertiam ac curam adeo ſingularem in his eligendis habuiſſent? Et cui fini ipſa alias ele-

„ac paritatem Doctorum coniunctam eſſe, oſtendant; aegre fidem ſibi apud „rerum non expertes conciliabunt. Sed horum, vt exiſtimo, nullum vnquam facient. Ferri poteſt ordo vetuſtate robuſtus, vbi ſemel obtinet: at „legis inſtar, cum lege deſtitutus ſit, imponi minime debet."

(s) *In V. Libris de Hierach. Eccleſ. T. IV. Dogm. Theol.* (t) *L. cit.*

(v) *Lib. I. de Sacrorum hominum origine et continentia Cap. V. apud Bellarminum Lib. I. de Clericis Cap. XV.*

(a) *Luc. Cap. VI. v. 12. et ſeqq.*

(b) *Act. Cap. I. v. vlt.*

Digitized by Google

electio deſeruiiſſet? Sufficienter diuini Libri pandunt, qualiter Apoſtoli ſe in Eccleſia Principes exhibuerint, qua eos *Chriſtus* muniuit vſurpantes ſupremam auctoritatem, ipſam ſcilicet poteſtatem, qua *Chriſtus* a Patre diuino miſſus fuit cumulatus, quique eam illis intimavit, dicens: *Sicut miſit me Pater, et ego mitto vos.* (c) Et quis, quaeſo, in dubium vocare audeat, aut vnquam vocauit, Apoſtolos reliquis omnibus in naſcente Eccleſia praecelluiſſe? Moshemius profecto id non inficiabitur, qui Rectoribus, ab Apoſtolis in neo-collectis Eccleſiis conſtitutis, ſupremam tribuit regiminis auctoritatem ab illis deriuatam. Neque enim maiorem permittet Rectoribus conſtitutis ab Apoſtolis, quam his illos conſtituentibus, auctoritatem.

II. Poſito hoc fundamento inconcuſſo firmiſſime ſuperſtruitur, quam hic defendimus, doctrina catholica. Etenim Epiſcopos ſuccedere Apoſtolis in regimine eccleſiaſtico, conſtans et indubitata eſt Patrum ſententia. Pari itaque cum Apoſtolis gaudeant Epiſcopi auctoritate, neceſſe eſt; Succeſſor namque eadem, qua deceſſor, pollet et dignitate et potentia. „*Chriſtus* dicit ad Apoſtolos, ac per „ hoc ad omnes Praepoſitos, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuc„ cedunt, qui vos audit me audit:" verba ſunt ſancti Cypriani (d) Et iterum: „ Hoc vel maxime, frater, et laboramus, et laborare „ debemus, vt vnitatem a Domino et per Apoſtolos nobis ſuc„ ceſſoribus traditam, quantum poſſumus, obtinere curemus."(e)

III. Cypriano conſentit Hieronymus, quem potiſſimum in ſuas trahere partes attentant Nouatores. „ Fuerunt, *ait*, o Eccle„ ſia, Apoſtoli Patres, quia ipſi te genuerunt. Nunc autem quia illi „ receſſerunt a mundo, habes pro iis Epiſcopos filios, qui a te „ creati ſunt. Sunt enim et hi Patres tui, quia ab ipſis regeris. „ Conſtitues eos ſuper omnem terram. Conſtituit *Chriſtus* ſanctos „ ſuos ſuper omnes populos. In nomine enim *Dei* dilatatum eſt „ Euangelium in omnibus finibus mundi, in quibus Principes Ec„ cleſiae, id eſt Epiſcopi conſtituti ſunt " (f)

IV. Eadem fere verba repetunt S. Auguſtinus et V. Beda; quorum prior ita fatur: „ Patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſto„ lis filii nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi. Hodie enim Epi„ ſcopi, qui ſunt per totum mundum, vnde nati ſunt? ipſa Eccleſia „ Patres illos appellat, ipſa illos genuit, ipſa illos conſtituit in ſe„ dibus Patrum. Non ergo te putas deſertam, quia non vides Pe„ trum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos

„ nata

(c) *Ioann. Cap. XX.* (d) *Lib. IV. Epiſt. IX.*
(e) *Lib. III. Epiſt. X. ad Cornelium Papam.* (f) *In Pſal. XLIV.*

Digitized by Google

„ nata es, de prole tua ibi ſcreuit paternitas, pro patribus nati „ ſunt tibi filii.“ (g) Alter ita exclamat: „ O Domine Rex! fi- „ lii non carne, ſed fide nati ſunt, vt Martinus, Hilarius et ſi- „ miles, qui ſuppleant locum Sanctorum Apoſtolorum, qui fue- „ runt Patres praecipue aliis in fide generatis. Patres dico tui, id „ eſt a te conſtituti, et eos filios tu conſtitues Principes, ſicut et „ Patres, non tantum ſuper Iudaeam, ſed ſuper omnem terram, id „ eſt in omnibus partibus terrae.“ (h)

V. Eamdem veritatem tradit S. Paulinus Epiſcopus Nolanus Rotomagenſi Antiſtiti reſcribens: „Sic te apoſtolicae ſedis euectu, „ quaſi ſuper candelabrum ſublime Deus conſtituit.“ (i) Et Caducenſi Praeſuli: „ Deus qui te in ſortem Apoſtolorum dignatus „ aſſumſit, vt eorum arte hominum piſcator exiſteres.“ (k) Iulianus Pomerius idem manifeſtat, Epiſcopos compellans *Eccleſiarum Chriſti poſt Apoſtolos fundatores, Apoſtolorum Domini Succeſſores* etc. (l) Ex quibus et pluribus aliis, quae hic adduci poſſent, teſtimoniis, nobis ſit patula Patrum ſententia, Epiſcopos Succeſſores eſſe Apoſtolorum, et quidem de iure diuino; cum ſancti Doctores aſſerant, *Deum* Epiſcopos in Apoſtolorum ſede collocaſſe etc.

VI. Hanc eamdem ob cauſam iidem Eccleſiae Patres, aliique Scriptores eccleſiaſtici catalogos Epiſcoporum, vt continua ſerie ab Apoſtolis deſcenderunt, tam ſollicite texuerunt. Et quidem Romanorum Epiſcoporum ſucceſſionem a S. Petro exhibent Irenaeus, Euſebius, Optatus Mileuitanus, Hieronymus, Auguſtinus etc. Ab eodem S. Petro ſucceſſionem in cathedra Antiochena nobis tradit laudatus Euſebius. (m) Idem a S. Marco in Eccleſia Alexandrina deſcendentem continuam Epiſcoporum ſeriem literis conſignavit (n) S. Iacobo fratri Domini ſuccedentes in Eccleſia Hieroſolymitana Epiſcopos ex veterum monimentis ſe didiciſſe, ſaepe dictus teſtatur Euſebius. (o) Huius demum Apoſtolicae ſucceſſionis in Eccleſia Africana teſtis eſt Tertullianus, qui Nouatores, ſicut tunc tem-

(g) *In eund. loc.* (h) *In eund. Pſal.*
(i) *Epiſt. II. ad Victricium.* (k) *Epiſt. ad Florentium.*
(l) *In Libris de vita contemplatiua*, praeſertim *Lib. I. Cap. vlt. et Lib. II. Cap. II.*
(m) *Lib. III. Hiſtor. Eccleſ. Cap. XXII. et Lib. IV. Cap. XX.*
(n) *Lib. II. Cap. XXIV. Lib. III. C. XXI. Lib. IV. Cap. I. IV. V. XI. XIX. Lib. V. Cap. XI. et XXII.*
(o) *Lib. IV. Cap. V.* Ordinem ita recitat: „ Primus fuit Iacobus, is qui Do- „ mini Frater vocabatur: ſecundus Simeon: tertius Iuſtus “ etc. Futilis eſt Blondelli criſis, quod intra tam breve tempus tot haud potuerint eſſe Epiſcopi Hieroſolymitani. Is enim non definiet vitae terminum illis Epiſcopis.

temporis alios haereticos, admodum perſtrinxit dicens: "Ceterum
„ ſiquae audent interſerere ſe aetati Apoſtolicae, vt ideo videantur
„ ab Apoſtolis traditae, quia ſub Apoſtolis fuerunt, poſſumus di-
„ cere: edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum, euoluant ordinem
„ Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem,
„ vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel apoſtolicis vi-
„ ris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerit, habuerit auctorem,
„ et anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiae Apoſtolicae cenſus
„ ſuos deferunt: ſicut Smyrnaeorum Eccleſia Polycarpum ab Ioan-
„ ne collocatum refert: ſicut Romanorum, Clementem ab Petro
„ ordinatum edit. Perinde vtique et ceterae exhibent, quos ab
„ Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos apoſtolici ſeminis tradu-
„ ces habeant. Confingant tale aliquid haeretici." (p)

VII. Ratio ipſa demonſtrat hanc in apoſtolica auctoritate Epiſcoporum ſucceſſionem. Erexit diuinus Fundator Eccleſiam, quam immotam per omne aeuum perſtare voluit, vt nulla vnquam contra eam praeualitura eſſet poteſtas. Eum in finem ſelegit ſibi ex reliquis diſcipulis duodecim Apoſtolos, ſuper quos tanquam fundamentum, vt cum Gentium Doctore loquar (q) Superaedificata illa eſſet ipſo ſummo angulari lapide *Chriſto Ieſu*, qui et eos, vt retulimus, ampliſſima cumulauit auctoritate, vt eorum ſententia et in coelis ratihabenda ſit, quam in terris tulerint. Hanc traditam ipſis poteſtatem infinita Verbi Sapientia procul dubio Eccleſiae bono et firmitati deſtinauit; nec enim Apoſtolorum, ſed Eccleſiae intuitu eam illis conceſſit. Hac igitur auctoritate et Apoſtolorum ſucceſſores decorare debuit, ne, labente tempore, ſtatuta quoque forma fundatae a ſe Eccleſiae laberetur.

VIII. Et inde Moshemii opinamentum prorſus corruit, dum ait, Apoſtolorum, ſeu naſcentis Eccleſiae tempore Epiſcopos ſiue coetus Rectores fuiſſe conſtitutos, quod eos neceſſitas exigeret; quia nimirum *ſine Rectore eiuſmodi nulla recens Eccleſia vel amplificari, vel ex omni parte recte componi poterat.* (r) Enimuero an tempore poſteriori, vbi coetus iam fuit adunatus, minus in eo Rector exigitur, praeſertim ſi diuerſae gentes in eum confluxerint? cur confirmatis conſtitutiſque Eccleſiis non amplius opus ſit primariis huius generis Doctoribus? (s) Vaga ſunt et prorſus inconſtantia hominum iudicia, ac communiter ſuo quiſque abundat ſenſu, coetui etiam optime conſtituto inſertus, vnde variae exoriuntur rerum viciſſitudines,

(p) *Lib. de Praeſcript. Haeretic. Cap. XXXII.* (q) *Eph. Cap. II.*
(r) Sunt illius verba *L. cit. §. VIII.* (s) Ita loquitur *cit. §. IX.*

Digitized by Google

varia diſſidia; quae vt rite expediantur, Rectore ſemper opus eſt. Politices ignarus ſit, qui a politico coetu rite ordinato amouere voluerit illius Rectorem. Merito namque quilibet prudens familiae etiam optime conſtitutae ruinam pertimeſcit, ſi Gubernatore, ſi Rectore deſtituatur; cum, vt diximus, inconſtans ſit hominum indoles, et ſuo quilibet abundet ſenſu. Et, quaeſo, quae foret Eccleſiae facies, ſi in ea Doctorum eſſet aequalitas, vt vult Moshemius? Ab Apoſtolorum tempore ad noſtram vſque aetatem in ea exurgebant viri loquentes peruerſa, vaniloqui et ſeductores, haeretici nimirum, vt ex hiſtoria eccleſiaſtica nouimus, et Paulus ipſe vaticinatus fuit, dicens: *oportet et haereſes eſſe.* (t) Et hos, vt idem docet Apoſtolus, oportet redargui. (v) Quis vero hoc defungetur munere, niſi Epiſcopus, qui, vt denuo idem praedicat Gentium Doctor, *amplecti debet fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, et eos qui contradicunt arguere?* (x)

IX. Aliud exin, nempe ex doctrina et factis Pauli nobis ſuppeditatur argumentum. Apoſtolus Tito, quem Epiſcopum Cretenſis Eccleſiae ordinauerat, reſcribit: *Huius rei gratia reliqui te Cretae, vt ea quae deſunt, corrigas.* (y) Conſtitutum a ſe Epheſiorum Epiſcopum Timotheum monet: *Praedica verbum, inſta oportune, importune, argue, obſecra, increpa in omni patientia et doctrina.* Rationem ſubdit: *Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſubſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros etc.* (z) Et iterato: *Miniſterium tuum imple.* (a) Quod autem hoc erat miniſterium, niſi ſuprema poteſtas regendi Eccleſiam Epheſinam? Suprema, dixi, ea ipſa nimirum, qua Apoſtolus erat praeditus. Quod quidem ex addita ratione ſufficienter diſpicimus, dum ſubdit: *Ego enim delibor, et tempus reſolutionis meae inſtat;* (b) ac ſi dicere vellet: officium meum exple, quod exequi propter inſtantem mihi mortem amplius nequibo. Quoddam tamen monitum ſuggerit: *Aduerſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.* (c) Vbi per Presbyterum Theophylactus intelligit nomen ordinis eccleſiaſtici; et in hunc Apoſtolus denotat Timotheo eſſe auctoritatem tanquam Epiſcopo, quam tamen in illum, tanquam in ſublimi dignitate conſtitutum, maiori eum caritate et diſcretione exercere deberet, vt nonniſi adhibitis competentibus teſtibus ſententiam in ipſum ferret. Vnde optime notat S. Epiphanius: „Quid „ autem attinebat Epiſcopo vetare, vt ne Presbyterum obiurgaret, „ niſi

(t) *I. Corinth. XI. v.* 19. (v) *Ad Tit. Cap. I. v.* 11. (x) *Ibid. v.* 9.
(y) *Ibid. v.* 5. (z) *II. Timoth. Cap. IV v.* 2. *et* 3. (a) *Ibid. v.* 5.
(b) *v.* 6. (c) *I. Timoth. Cap. V. v.* 19.

Digitized by Google

„ niſi maiorem ipſo poteſtatem obtineret ? Quare deinceps ad-
„ monet : aduerſus Presbyterum cito accuſationem ne admiſeris ,
„ niſi duobus tribuſue teſtibus ? Non alicui ex Presbyteris praece-
„ pit, vt accuſationem contra Epiſcopum non admitteret, aut Epi-
„ ſcopum non obiurgaret.“ (d) Argumentum a nobis propoſitum, et ex Sacris Literis deſumptum S. Doctor abunde declarat, ne inſidiae eidem a quodam impoſtore ſtrui queant.

X. Certe nobis vitio non vertent Nouatores, ſi Apoſtolos, horumque facta et doctrinam potius reſpiciamus, quam ipſos, eorumque pro libitu conficta interpretamenta, vt conſtitutae a *Chriſto* Eccleſiae formam, ac diuini Fundatoris voluntatem dignoſcamus. Prouocant illi valida ſemper vociferatione ad primaeuam Eccleſiam, vt purior inde hauriri poſſit doctrina. Et dum ad illam recurrimus, vt facem ipſis praeferamus, vnde ſuam perſpiciant falſitatem, varias et vanas obtrudunt rationes, vt ſuis faueant, quos animis nunquam eiicere conſtituerunt, erroribus. Si Apoſtoli ſolertes ita fuerunt in conſtituendis Epiſcopis, ſeu, vt cum Moshemio loquar, Eccleſiarum Rectoribus, vt facta Pauli demonſtrant, merito id hauſiſſe cenſendi ſunt ex inſtructione diuini Magiſtri, qui Eccleſiam fundauit, et in ea poſuit alios quidem Apoſtolos, alios Euangeliſtas, alios Doctores etc. vt idem loquitur Apoſtolus. (e)

XI. Confugiunt quidem et Nouatores ad Sacras Literas quaerentes ibi cauſae ſuae praeſidium, ſed vix quidquam ipſis favens in iis reperiunt, niſi quod Epiſcopi etiam Presbyteri vocentur, ac iſtis quoque regimen Eccleſiae conceſſum dicatur, vt S. Petrus indicat monens : *Seniores ergo , qui in vobis ſunt obſecro. . . paſcite qui in vobis eſt gregem Dei etc.* (f) Et S. Paulus vocans Presbyteros ſeu Maiores natu, eos eſt cohortatus : *Attendite vobis et vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* (g) Idem Apoſtolus Vrbis Philippenſium Presbyteros Epiſcoporum titulo ornauit, ſcribens : *Omnibus ſanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis cum Epiſcopis et Diaconibus* (h) In vna enim ciuitate plures haud fuerunt Epiſcopi, ſed Presbyteri ; atque ideo inter Epiſcopos et Diaconos nullum alium ordinem medium agnouit et indicauit Paulus : igitur Epiſcopalis ab ordine presbyterali diſtinctus tunc non fuerit, oportet.

XII. Verum iſta vnica, ſed ſolida, reſponſione enodantur, quando dicimus, nomen Presbyteri, ſicut et Epiſcopi ea aetate ſumptum fuiſſe promiſcue, ac vtrumque Presbytero ſecundo ordinis, aeque

 ac

(d) *Haereſi LXXV.* (e) *Epheſ. Cap. IV.* (f) *I. Petri Cap. V.*
(g) *Act. Cap. XX.* (h) *Phil. Cap. I.*

Digitized by Google

ac primi ordinis, quem nunc Epiſcopum vocamus, fuiſſe accomodatum, vt tamen in re minime facta fuerit confuſio. Illud a nobis libere confictum eſſe, dici non debet, quod celeberrimi tradunt Sacrae Scripturae Expoſitores Theophylactus (i) Oecumenius (k) Theodoretus (l) cum S. Chryſoſtomo (m) qui addit, procedente tempore proprium cuique nomen fuiſſe aſſignatum, vt primi ordinis Presbyter apellaretur Epiſcopus, ſecundi ordinis vero ſolus retineret nomen Presbyteri. Hinc dum S. Petrus paſtores illos Presbyteros vocat, non denotat illos fuiſſe Presbyteros ſecundi ordinis, ſed cum nomen illud eſſet honoris et dignitatis, illud Epiſcopis tribuebat, ſicut ſe ipſum *conſeniorem* et *compresbyterum* apellat. (n) Quos Paulus *maiores natu* a Mileto mittens Epheſum, indeque advocans hortabatur ad regendam debite Eccleſiam, ii pariter non erant, quos modo Presbyteros vocamus, ſed Epiſcopi. Et licet Epheſum tantum miſiſſe dicatur Apoſtolus, non tamen Epheſinae ſolum Eccleſiae Presbyteros ad ſe vocauit, ſed potius cum Epheſino aliarum Aſiae Vrbium Epiſcopos, vt teſtatur S. Irenaeus. (o) Imo facer textus id nobis pandere videtur; Apoſtolus enim ad ſe vocatos ita eſt allocutus: *Vos ſcitis a prima die qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne Tempus fuerim.... Et nunc ecce ego ſcio, quia amplius faciem meam non videbitis vos omnes per quos tranſiui praedicans regnum Dei.* (p) Ex quo haud obſcure colligitur, non Epheſinae tantum ciuitatis, ſed totius Aſiae primarios Paſtores Paulum iis verbis fuiſſe cohortatum, in qua tunc plures extitiſſe Epiſcopos, memorat S. Hieronymus. (q) Nec enim Epheſinae tantum Eccleſiae cura tenebatur ardentiſſimus Apoſtoli zelus. Sic quoque Philippenſibus ſcribens, non vnius tantum vrbis, Philippi nimirum, ſed totius prouinciae Epiſcopos ſalutauit, cuius metropolis erat Philippos. Quod autem inter Epiſcopos et Diaconos non recitet medios Presbyteros, rationem iam aſſignauimus, quia tunc Presbyteris quoque Epiſcoporum nomen tribuebatur; aut etiam non memorauit Presbyteros, quia illo tempore extabant Eccleſiae, quibus ſolus Epiſcopus cum Diaconibus ſuis praeſidebat, vt teſtatur S. Epiphanius. (r) Videantur dicta alibi. (s)

XIII.

(i) *Comment. in Epiſt. ad Titum.* (k) *In eundem Loc.*
(l) *Comment. in Cap. III. Epiſt. I. ad Timoth.* (m) *Hom. in cit. Epiſt. ad Tit.*
(n) *L. cit.* (o) *Lib. III. Cap. XIV.* (p) *L. cit. v.* 18. *et* 25
(q) *In Catal. Script. Eccleſiaſt. Cap. IX.* (r) *L. cit.*
(s) *In Diſſert. Concil. Artt. II. III. et IV.*

Digitized by Google

XIII. Non inficiamur, quoſdam cum S. Chryſoſtomo (t) S. Hieronymo (v) Theodoreto (x) Oecumenio (y) Presbyteros quoque denotatos fuiſſe ab Apoſtolo, quos ad ſe vocauit, cum Epiſcopi nomen commune eſſet, et Presbyteris quoque tunc pars regiminis eccleſiaſtici, etſi cum quadam ſubordinatione, eſſet concredita; nemo tamen illorum contendit, ſic appellatos Epiſcopos illos Aſiae Presbyteros habuiſſe parem dignitatem cum Epiſcopis, quos hodie ſolos nominamus.

XIV. Ad traditionem modo conuertimur, quam omnium ſeculorum vniuerſalem et indubiam fuiſſe pro catholico dogmate, ſi paucos quosdam excipiamus ſectarios, et vel ideo a vera *Chriſti* Eccleſia reprobatos, facili negotio exhibere poſſemus; ſed praeter iam allegata, pauca quaedam ac principaliora ſufficiant. Seculum I. ſiſtit nobis teſtem, cuius elogium omnis ſemper Eccleſia celebrauit. Eſt is digniſſimus S. Petri in Cathedra Antiochena ſucceſſor S. Ignatius, ita de dignitate Epiſcopali diſſerens, et fideles commonefaciens: „ Hortor, vt hoc ſit veſtrum ſtudium, in *Dei* concordia „ omnia agere, Epiſcopo praeſidente *Dei* loco, et Presbyteris lo„ co ſenatus Apoſtolici, et Diaconis mihi ſuauiſſimis, quibus com„ miſſum eſt miniſterium *Ieſu Chriſti.*“ (z) Similia alibi ſaepius repetit. (a) Nefas foret, vel minime dubitare de mente ſancti Doctoris, qui manifeſtis verbis depraedicat diſtinctam auctoritatem Epiſcoporum ab auctoritate Presbytorum, illorumque ſupremam, et horum auctoritati ſupereminentem.

XV. Salmaſius et Blondellus optime perſpicientes, falſam illorum doctrinam ab illuſtriſſimo hoc Martyre condemnari, ſi epiſtolae, quae catholicum tam aperte ferunt dogma, eidem tribuantur, audacter illi, infauſta criſi, eas abiudicant; cum tamen Eruditi fere omnes eas genuinum ſancti Doctoris partum eſſe doceant, et commonſtrent. At cum pagellarum anguſtiae non permittant, inania confutare commenta, quae ab illis hac in parte congeruntur, hoc labore ſuperſedemus, remittentes beneuolum Lectorem ad Alexandrum Natalem, qui abundantiſſime friuolas illorum ratiunculas demonſtrauit. (b)

XVI. Labente Seculo II. catholicam veritatem ſcripto conſignatam nobis reliquit Clemens Alexandrinus, qui hierarchiam

 eccle-

(t) *Homil. I. in Epiſt. ad Phil.* (v) *Epiſt. ad Euagrium ſeu Euangelum.*
(x) *In cit. Epiſt. ad Philip.* (y) *In eund. loc.* (z) *Epiſt ad Magneſianos.*
(a) *Epiſt. ad Trallian. Epiſt. ad Philadelphios. Epiſt.* quae inſcribitur: *Polycarpo Smyrnenſis Eccleſiae Epiſcopo.* (b) *L. ſupr. cit.*

Digitized by Google

eccleſiaſticam ita depraedicat: „ Hic quoque in Eccleſia progreſ-
„ ſiones Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum ſunt imitationes
„ vt arbitror, gloriae angelicae.“ (c) Dicere voluit, ſicut Angeli in coelo ſunt impares in dignitate, ſeu quemadmodum hierarchia angelica ſuperiores et inferiores numerat Angelos, ita et in hierarchia eccleſiaſtica talis eſt diſcretio, vt vnus alterum dignitate in ea antecedat, primique veniant Epiſcopi, dein Presbyteri etc. Eodem fere tempore veritatis huius teſtis nobis ſiſtitur Tertullianus, qui Epiſcopum *Summum ſacerdotem* compellat, ac ſupremam in Eccleſia facultatem tribuit eidem, quem dein Presbyteri ſequantur, vt iſti ſine illo nec baptiſmum conferre valeant. „ Dandi quidem Baptiſ-
„ mum, *ait*, ius habet ſummus ſacerdos, qui eſt Epiſcopus: de-
„ hinc Presbyteri et Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate.“
(d) Refert, Epiſcopos ſolere vniuerſae plebi ieiunia mandare ex cauſa ſollicitudinis Eccleſiae. (e) Verum eſt, honorat Tertullianus Presbyteros quoque *Praeſidentium* nomine, praeſertim vbi agit de diſtributione ſacrae Euchariſtiae, (f) attamen ſubiectionem illorum ad Epiſcopos haud inficiatur; cum in locis Epiſcopi Presbyteros eo tempore collocarent, vt ſuo modo ibi praeſiderent, vbi ipſi Epiſcopi non erant.

XVII. Diſtinctionem Epiſcopos inter ac Presbyteros aliosque, et priorum Principatum ſedulo adnotauit Seculo III. Origenes, ita loquens: „ Plus a me (*Presbytero*) exigitur, quam a Diacono:
„ plus a Diacono quam a Laico: qui vero totius Eccleſiae arcem
„ obtinet (*ſic Epiſcopum delineat*) pro omni Eccleſia rationem red-
„ det.“ (g) Quid, quaeſo, aliud eſt totius Eccleſiae arcem tenere, niſi totius Eccleſiae Principem eſſe, cui cura et ſollicitudo incumbit, vt eandem regat et gubernet? Summa igitur regendi Eccleſiam poteſtas, ad doctrinam Origenis, eſt penes Epiſcopos.

XVIII. Luculentiora ſunt, quae nobis ſuppeditat S. Cyprianus. Erudiebat ſanctus Praeſul Lapſos, qua ratione pacem cum Eccleſia inire valerent ſubiicientes ſe humiliter Epiſcopis, quos ex Sacris Literis demonſtrat, gaudere ſuprema in Eccleſia auctoritate, vt illa ſuper ipſos, tanquam Praepoſitos, conſtituta ſit. Audiamus loquentem: „ Dominus noſter, *inquit*, cuius praecepta metuere et
„ obſeruare debemus, Epiſcopi honorem et Eccleſiae ſuae ratio-
„ nem

(c) *Lib, VI. ſtromat.* (d) *Lib. de Baptiſmo Cap. XVII.*
(e) *Lib. aduerſus Pſychicos Cap. XIII.*
(f) *Aprologet. Cap. XXXIX.* et *Lib. de corona Militis Cap. III.*
(g) *Homil. VII. in Ieremiam.*

Digitized by Google

„ nem diſponens in Euangelio loquitur, et dicit Petro: *Ego tibi* „ *dico, quia tu es Petrus et ſuper iſtam petram aedificabo Eccleſiam meam,* „ *et portae inferi non vincent eam, et tibi dabo claues regni coelorum, et quae* „ *ligaueris ſuper terram, erunt ligata et in coelis, et quaecunque ſolueris ſuper* „ *terram, erunt ſoluta et in coelis.* Inde per temporum et ſucceſſionum „ vices Epiſcoporum ordinatio et Eccleſiae ratio decurrit, vt Ec„ cleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur, et omnis actus Eccleſiae per „ eosdem Praepoſitos gubernetur. Cum hoc itaque diuina lege „ fundatum ſit, miror, quosdam audaci temeritate ſic mihi ſcribere „ voluiſſe, quando Eccleſia in Epiſcopo et Clero et in omnibus „ ſtantibus ſit conſtituta.“ (h) Occurrent inferius alia, quae ſancti Doctoris mentem vberius declarabunt.

XIX. Blondellus hinc effugere cogitat, dicens, per Praepoſitos non tantum Epiſcopos, ſed et Presbyteros a Cypriano deſignari. Hoc ſuum aſſertum firmari exiſtimat ex eo, quod hic ipſe S. Doctor Presbyteros nomine et auctoritate Praepoſitorum iterato honoret, velitque, vt omnia Eccleſiae negotia communi Epiſcoporum et Presbyterorum conſilio pertractentur, vt ipſe pertractauit, prout conſtat ex eius epiſtolis. (i) Hoc commonefecit Lucium Pontificem, vt *cum Epiſcopo Presbyteros ſacerdotali honore coniunctos habeat.* (k) Cornelium itidem Romanum Pontificem compellauit: „ Quamquam ſciam, „ frater cariſſime, pro mutua dilectione quam debemus et exhibe„ mus inuicem nobis, FLORENTISSIMO ILLINC CLERO TECVM PRAESI„ DENTI, et ſanctiſſimae atque ampliſſimae plebi legere te ſemper li„ teras noſtras etc.“ (l) Quare et inter Praepoſitos ac Diaconos medium cognoſcit neminem, inquiens: „ Cum omnes omnino „ diſciplinam tenere oporteat, multo magis Praepoſitos et Diaco„ nos curare hoc fas eſt.“ (m)

XX. Fruſtra quaerit Blondellus in ſcriptis S. Cypriani erroris ſui praeſidium, vt potius illius auctoritate penitus confutetur, ſi vel ipſa penſemus loca, quae Aduerſarius in ſui allegat fauorem. Praepoſiti nomen ſingulariter tribuit Epiſcopo, inquiens: „ Cum „ gaudere in hoc omnes fratres oporteat, tum in gaudio commu„ ni maior eſt Epiſcopi portio. Eccleſiae enim gloria Praepoſiti glo„ria eſt.“ (n) Acrius inuehitur in Presbyteros, *qui nec Dei timorem, nec Epiſcopi honorem cogitantes, ante factam ab Epiſcopo manus impoſitionem* auſi ſunt pro Lapſis offerre; iubetque, vt Confeſſorum *petitiones Epiſcopo ſeruentur.* (o Lucio Papae reſcripſit: „ Gratulamur, quod cum

„ ea-

(h) *Epiſt. XXVII. ad Lapſos.* (i) *Epiſt. VI. X. etc.* (k) *Epiſt. LVIII.*
(l) *Epiſt. LV.* (m) *Epiſt. LXII.* (n) *Cit. Epiſt. VI.* (o) *Epiſt. Cit. X.*

Digitized by Google

„ eadem gloria et laudibus veſtris reduces vos denuo ad ſuos fece-
„ rit benigna Domini et larga protectio, vt paſcendo Gregi Pa-
„ ſtor, et gubernandae naui Gubernator, et plebi regendae Re-
„ ctor redderetur etc.“ (p) En! Epiſcopum paſtorem, gubernatorem rectoremque depraedicat, quod nulli vnquam concedit Presbytero. Pluribus adhuc, Cornelio ſcribens, extollit ſupremam Epiſcoporum auctoritatem, vt mirari ſatis nequeam, quod Blondellus has literas adducere auſus fuerit. Haereſum et ſchiſmatum ortum refundit S. Doctor in inobedientiam, qua *Sacerdoti Dei*, nempe Epiſcopo, *non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, et ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur: cui ſi ſecundum magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſum ſacerdotum collegium quicquam moveret.* Ingentem deplorat Eccleſiae ruinam, quod *deſpectis Epiſcopis atque calcatis, pax a Presbyteris praedicetur.* Aſſerit, quod *Chriſti et Eccleſiae inimicus Praepoſitum Eccleſiae* (ſic denuo Epiſcopum deſignat) *ad hoc ſua infeſtatione perſequatur, vt,* GVBERNATORE *ſublato, atrocius atque violentius circa Eccleſiae naufragia graſſetur.* (q) Imo tota fere epiſtola eo vnice tendit, vt commendetur ſumma auctoritas Epiſcopalis, quae nulli prorſus poteſtati vti ſubiacet, ſic nec cedere vnquam debeat, vtpote cui *Chriſtus* ſuam Eccleſiam tradidit gubernandam, ſaluo nimirum Primatu Pontificis.

XXI. Minime inficiamur, eo aeuo obtinuiſſe Eccleſiae conſuetudinem, quam ſanctus Cyprianus diligentiſſimus obſeruabat, vt negotia Eceleſiae non Epiſcoporum tantum, ſed et Presbyterorum conſilio pertractarentur. At inde parem haud deduces auctoritatem eorundem; alias et inferioris Cleri, imo et Laicorum aequalem dicere deberemus cum Epiſcopis dignitatem (quod a mente ſancti Doctoris certo prorſus alienum fuiſſe, nemo ibit inficias, qui vel obiter ipſius ſcripta luſtrauerit) cum abſolute dicat, *florentiſſimo illic Clero tecum praeſidenti etc.* qui Romanus Clerus, ſede Papali vacante per mortem S. Fabiani, eidem S. Cypriano reſcripſit, ſe velle, *collatione conſiliorum cum Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Confeſſoribus pariter ac ſtantibus Laicis facta, Lapſorum tractare rationem.* (r) Sicut ergo temporis illius diſciplina in regenda Eccleſia non infert Diaconorum, aut aliorum inferiorum Clericorum parem cum Epiſcopis auctoritatem, ſic nec Presbyterorum, qui gratis dicuntur comuniter venire nomine *Praepoſitorum* in Cypriani monumentis; quin potius ſpecialiter in illis eo nomine Epiſcopi deſignantur, vt ex mox ad-

(p) *Cit. Epiſt. LVIII.* (q) *Cit. Epiſt. LV.*
(r) *Epiſt. XXXI. inter epiſtolas S. Cypriani.*

Digitized by Google

adductis apparet. Ex quibus quoque conſtat, quod parem dignitatem inclytus Martyr haud tribuat Presbyteris cum Epiſcopis, etiam vbi quandoque illos Praepoſitorum titulo ornat; excellentioremque eſſe Epiſcoporum aperte commonſtrat, vbi poſt Praepoſitos, medios nullos memorat, ſed ſtatim Diacónos ſubiungit; ſiquidem excommunicandi facultatem ibi ſoli relinguat Epiſcopo, laudetque Pomponium, quod *conſulte fecerit, abſtinendo Diaconum, qui cum virgine ſaepe manſit, ſed et ceteros qui cum virginibus dormire conſueuerant.* Hortatur eundem Pomponium, vt *fraternitatem regat*; quae ſane epiſcopalem eminentiam ſatis declarant. Praeterea nihil prorſus inferri poſſe pro adverſa ſententia ex eo, quod ſanctus Doctor Praepoſitis ſtatim ſubnectat Diaconos, nulla facta Presbyterorum mentione, manifeſtum fit inde, quod et ibidem Praepoſitis nominatis memoret plebem, nec Presbyteris, nec Diaconis, aut aliis Clericis interiectis. *Primo igitur loco,* ait, *frater cariſſime, et Praepoſitis et plebi nihil aliud elaborandum eſt, quam vt qui Deum timemus, cum omni obſeruatione diſciplinae diuina praecepta teneamus.* (s) Certum itaque eſt, illuſtriſſimum *Chriſti* Martyrem non tantum non fauere Nouatorum opinioni, ſed manifeſte eidem refragari.

XXII. Orthodoxorum neminem in dubium vocaſſe catholicam doctrinam Seculo IV. patulum eſt. Siquidem, cum Aerius oppoſitum errorem, ſeu vt illum compellat S. Epiphanius, *immane et furioſum* dogma impio ore vix propalaſſet, eumdem ſtatim Eccleſia tanquam haereticum eſt inſecuta, cuius cuſtodiendi depoſitum, fidem veram intelligo, prae ceteris tunc pietate non minus quam eruditione celeberrimus laudatus S. Epiphanius prouinciam in ſe ſuſcepit, de cuius catholica mente nec ipſi ambigent Nouatores. Cum tamen horum nugas, vti Aerii, eliminet, audire libeat S. Doctorem. „Epiſcoporum ordo, *inquit*, Patrum generator eſt; Patres enim „generat Eccleſiae. Presbyterorum vero non potens generare Pa„tres, per lauacri regenerationem generat filios Eccleſiae: non „tamen Patres aut Doctores. Decepit autem Aerium ipſius nu„gacitas et aemulatio. Profert autem ad errorem ſuum, quod Apo„ſtolus ſcribit Presbyteris et Diaconis, et non ſcribit Epiſcopis. „Et ad Epiſcopum dicit: *ne neglexeris donum quod in te eſt, quod accepiſti* „*per manus Presbyterii.* Et rurſus in alio loco Epiſcopis et Dia„conis ſcribit. Eſt ergo, inquit Aerius, idem Epiſcopus, qui et „Presbyter: et non nouit ille, qui conſequentiae veritatis ignarus

(s) *Epiſt. cit. LXII.*

„ eſt, et hiſtorias profundiſſimas non legit, quod cum recens eſ-
„ ſet praedicatio, ſanctus Apoſtolus pro re nata velut habebat
„ ſcripſit. Vbi enim erant Epiſcopi conſtituti, ſcripſit Epiſcopis
„ et Diaconis; per hos enim duos eccleſiaſtica compleri poſſunt.
„ Vbi vero non eſt aliquis dignus inuentus Epiſcopatu, permanſit
„ locus ſine Epiſcopo. Vbi autem opus fuit, et erant digni Epi-
„ ſcopatu, conſtituti ſunt Epiſcopi. Cum autem multitudo non eſ-
„ ſet, non ſunt inuenti inter ipſos, qui Presbyteri conſtituerentur,
„ et fuerunt contenti ſolo Epiſcopo in loco conſtituto etc.“ (t) Inane hic Aerii effugium, in Scriptura id quaerentis, praecluditur; ac ideo et Nouatorum eo pariter recurrentium inane commonſtratur.

XXIII. Firmant eo aeuo celebrata concilia catholicam veritatem. Sardicenſe inhibuit, ne in pago aut parua ciuitate Epiſcopus conſtitueretur, vbi Presbyter ſufficeret, *ne Epiſcopi nomen et auctoritas vilipenderetur.* (v) Antiochenum Epiſcopo curam ſuae parochiae, id eſt, dioeceſis commendat, vt in ea Presbyteros quoque ac Diaconos ordinet. (x) Carthaginenſia modum ordinandi Epiſcopos praeſcribunt, vt plures eidem adſint ordinationi. (y) Toletanum I. audaciam quorundam Presbyterorum retundit, qui Chryſma conficere praeſumebant, cum hoc ſit ſolius Epiſcopi. (z) Ante haec Concilium Eliberitanum ordinauit, vt poenitentia fieret apud Epiſcopum, et communio non daretur Lapſis a Presbyteris et Diaconis, niſi iubente Epiſcopo. (a) Quae omnia clare demonſtrant diſtinctam Epiſcoporum auctoritatem, eamque auctoritate Presbyterorum ampliorem. Taceo hic S. Gregorium Nazianzenum (b) Amphilochium (c) alioſque, qui ea aetate floruerunt, et catholicae veritatis teſtes extiterunt.

XXIV. Eadem fere tempeſtate florentem in Eccleſia Doctorem maximum S. Hieronymum, cui potiſſimum Nouatores ſuam fidunt cauſam, a nobis haud diffidere, ſed catholico dogmati ſubſcribere, exhibendum eſt. Diſtinctum eſſe ordinem Epiſcopatus, clariſſimis verbis tradit: „ Epiſcopus, *inquit*, et Presbyter, et Dia-
„ conus non ſunt meritorum nomina, ſed officiorum.“ (d) Ampliorem quoque eſſe Epiſcopi auctoritatem, ſaepius docet. Montani-

(t) *L. cit.* (v) *Can. VI.* (x) *Can. IX.*
(y) Et quidem ſecundum *Cap. XII.* Tertium *Cap. XXXIX.*
(z) *Can. XX.* (a) *Can. XXXII.*
(b) *Orat. II.* Quae eſt in laudem Baſilii M. vbi de iſto refert, quod ob praeclara merita in Presbyterorum ordinem, et poſtea in cathedram epiſcopalem fuerit eleuatus.
(c) *In vita Baſili M.* (d) *Lib. I. aduerſus Iouinianum.*

Digitized by Google

taniſtas ita inſectatur: „ Apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi „ tenent, apud eos Epiſcopus tertius eſt. Habent enim primos de „ Pepuza Phrygiae Patriarchas: ſecundos quos appellant Cenonas: „ atque ita in tertium, id eſt, pene vltimum locum Epiſcopi deuol„ vuntur: quaſi exinde ambitioſior religio fiat, ſi quod apud nos „ primum eſt (*ſcilicet Epiſcopatus*) apud illos nouiſſimum ſit.“ (e) Luciferianos ab vnitate Eccleſiae recedentes perſtringit, eruditque, inquiens: „ Eccleſiae ſalus in ſummi ſacerdotis dignitate pendet, „ cui ſi non exors quaedam et ab omnibus eminens detur poteſtas, „ tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot ſacerdotes. Inde ve„ nit, vt ſine chriſmate et Epiſcopi iuſſione neque Presbyter, ne„ que Diaconus ius habeant baptizandi.“ (f) Depraedicat hic ſanctus Doctor eminentem prae omnibus Epiſcopi poteſtatem, et in ea Eccleſiae ſalutem collocat; ſi ex ſuprema Epiſcopi dignitate Eccleſiae ſalus pendet, quis ambiget, eam dignitatem a *Chriſto* conſtitutam fuiſſe, qui procul dubio omnia ordinauit, quae Eccleſiae ſalus expoſcit? ſupremum inter gradus eccleſiaſticos Epiſcopatum eſſe repetit dicens: „ Eccleſia multis gradibus conſiſtens ad extre„ mum Diaconis, Presbyteris Epiſcopiſque finitur.“ (g) Demum vt plura alia praetermittamus, quae in rem noſtram forent, excipiamus tantum adhuc verba ſcribentis Oceano: „ Miror, *ait*, te „ vnum protraxiſſe in medium, cum omnis mundus his ordinationi„ bus plenus ſit: non dico de Presbyteris, non de inferiori gra„ du: ad Epiſcopos venio etc.“ (h) Ex quibus manifeſtum eſt, S. Hieronymum ampliorem in Epiſcopo quam in Presbytero reveritum fuiſſe dignitatem.

XXV. Cum Adverſarii haec negare non valeant, aſſerunt, S. Doctorem agnouiſſe quidem excellentiorem in Epiſcopo, quam Presbytero, auctoritatem, ſed quae ab Eccleſia, non a *Chriſto* fuerit conſtituta, ex cuius ordinatione eundem eſſe Presbyterum ac Epiſcopum iterato affirmat; vt Eccleſia communi Presbyterorum conſilio regenda eſſet. Verba illius ita ſonant: „ Idem eſt ergo Presby„ ter qui Epiſcopus: et antequam, diaboli inſtinctu, ſtudia in religione „ fierent, et diceretur in populis, ego ſum Pauli, ego Apollo, ego „ autem Cephae, communi Presbyterorum conſilio Eccleſiae guber„ nabantur. Poſtquam vero vnuſquiſque eos, quos baptizauerat, ſuos „ putabat eſſe, non *Chriſti;* in toto orbe decretum eſt, vt vnus de „ Presbyteris ſuperponeretur ceteris, ad quem omnis Eccleſiae cu-

(e) *Epiſt. XXVII. ad Marcellam.* (f) *Dial. contra Luciferianos.*
(g) *L. cit.* (h) *Epiſt. LXXXII.*

Digitized by Google

„ ra pertineret, et ſchiſmatum ſemina tollerentur.“ Variis dein adductis Scripturae locis, concludit: „ Haec propterea, vt oſten- „ deremus, apud veteres eosdem fuiſſe Presbyteros quos et Epiſco- „ pos: paulatim vero vt diſſenſionum plantaria euellerentur, ad „ vnum omnem ſollicitudinem eſſe delatam. Sicut ergo Presbyteri „ ſciunt, ſe ex Eccleſiae conſuetudine ei qui ſibi praepoſitus fuerit, „ eſſe ſubiectos: ita Epiſcopi nouerint, ſe magis conſuetudine, quam „ diſpoſitionis dominicae veritate Presbyteris eſſe maiores, et in „ commune debere Eccleſiam regere, imitantes Moyſen, qui cum „ haberet in poteſtate ſolus praeeſſe populo Iſrael, ſeptuaginta ele- „ git, cum quibus populum iudicaret.“ (i)

XXVI. Verum ex his inferre minime licet, ad mentem S. Hieronymi ex diuina ordinatione Presbyteros aequales eſſe Epiſcopis quoad omnem auctoritatem, ſed ſolum quoad nomen et appellationem, ac quoad vſum quemdam externae iurisdictionis; cum, ex recepta praxi Eccleſiae ab huius initio, Epiſcopus non niſi ex conſilio Presbyterorum ac ſuffragiis negotia eccleſiaſtica ageret, vt tamen iure ſuffragii ſenatui illi praeſideret iudicandique auctoritate. Prius colligimus ex ipſis S. Doctoris verbis aſſerentis: *Quia eoſdem Epiſcopos illo tempore quos et Presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Epiſcopis quaſi de Presbyteris eſt locutus* S. Paulus. (k) Alterum nos docet hiſtoria eccleſiaſtica. Interim cum illa Eccleſiam gubernandi ratio anſam videretur praebere ſchiſmatis, ea fuit immutata, vt tota Epiſcopo fuerit reſeruata, et quidem *ex conſuetudine Eccleſiae potius quam diſpoſitionis dominicae veritate*; nec enim iure diuino ſolus Epiſcopus Eccleſiam regit, ſeu regere debet excluſis Presbyterorum conſiliis. Imo conſultius iudicauit Hieronymus, id fieri communi conſilio, exemplo Moyſis, *qui cum haberet in poteſtate ſolus praeeſſe populo Iſrael, ſeptuaginta elegit, cum quibus populum iudicaret.* Quo exemplo nos inſtruit, ex inſtitutione diuina ſolum Epiſcopum gaudere *ſuprema* regiminis auctoritate, prout ſolus Moyſes *ſuprema* pollebat regendi populum Iſraeliticum auctoritate ex diuina ordinatione. Adverto praeterea ex Hieronymi verbis, diuinitus datam eſſe Epiſcopis *ſupremam* regendi Eccleſiam facultatem dicentis, ad ſchiſmatum ſemina tollenda Epiſcopum fuiſſe praelatum, ſeu vt alibi loquitur: *Quod autem vnus electus eſt, qui ceteris praeponeretur, in ſchiſmatis remedium factum eſt, ne vnuſquiſque ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet.* (l) *Chriſtus* vnitatem Eccleſiae ſuae ordinauit; ad hanc vnitatem ſeruandam, ſeu

(i) *Comment. in Epiſt. ad Tit. Cap. I.* (k) *L. cit.*
(l) *Epiſt. LXXXV. ad Euagrium*, ſeu, vt alii legunt, *ad Euangelum aut Euangelium*,

Digitized by Google

ſeu ad ſchiſmata praecauenda S. Doctor docet Epiſcopum fuiſſe praepoſitum. Itaque *Chriſtus* ipſe ordinauerit hanc Epiſcopi praeeminentiam oportet, vtpote qui vnitatem ordinauit. Profecto idem Hieronymus docet, vt vnitas Eccleſiae ſeruaretur, et ſchiſmati iretur obuiam, a *Chriſto* ipſo caput, ſeu Eccleſiae praepoſitum fuiſſe inſtitutum: *Propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio*; ſunt verba illius. (m)

XXVII. Haec, ſepoſito praeiudicio, perpenſa declarant, quae fuerit mens S. Patris alibi quoque ſcribentis, *Apoſtolum diſerte docere, eosdem eſſe Presbyteros, quos et Epiſcopos.* (n) Nimirum voluit, quod Epiſcoporum nomine etiam Presbyteri venerint, et ab Apoſtolo quoque deſignati fuerint in ſuis epiſtolis, vt et illis ſuo modo excellentia ea competat, quae a Paulo ibi tribuitur, quamque Diaconus minime ſibi arrogare poteſt, vt eo tempore refert, *quemdam in tantam vecordiam erupiſſe, vt Diaconos Presbyteris anteferret*, cuius confutabat Hieronymus impudentiam. Poſtea adnectit: „ Alexandriae a Marco Euangeliſta vſque ad Heraclam et Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper vnum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant: quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat; aut Diaconi eligant de ſe, quem induſtrium, et Archi-diaconum vocent.“ Quae verba non eo tendunt, quaſi nulla interueniente noua ordinatione, ſola electione et voluntate Presbyterorum, Epiſcopalis dignitas et poteſtas fuiſſet collata; hic enim in excelſiori gradu a Presbyteris collocatus procul dubio habebat poteſtatem ordinandi Presbyteros et Diaconos, imo et Epiſcopos; hanc autem poteſtatem ordinandi non habebant Presbyteri; ipſe namque Hieronymus ibidem ait: *Quid enim facit excepta ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* Confitetur igitur S. Doctor, Epiſcopo competere poteſtatem, et quidem a tempore Apoſtolorum, de quo ipſi ſermo eſt, qua carent Presbyteri. Si parem vtriuſque, Epiſcopi et Presbyteri, poteſtatem iudicaſſet, certe id non diſſimulaſſet, cum ſibi propoſitum haberet, omni modo extollere Presbyterorum dignitatem. Nec proin omnimodam paritatem inſtituere cogitabat a militibus eligentibus Imperatorem, ac Diaconis ſeligentibus Archi-diaconum, ad Presbyteros eligentes Epiſcopum, niſi quoad nudam ele-

(m) *Lib. I. aduerſus Iouinian.*
(n) *Epiſt. cit. LXXXV.* vbi allegat. *Cap. VI.* item *XX. Act. Cap. I. Epiſt. ad Philipp. Cap. I. Epiſt. ad Tit. Cap. IV. Epiſt I. ad Timoth. Epiſt. I. Petri Cap. V. Cap. I. Epiſt. I. et II. Ioann.*

Digitized by Google

ctionem, et in quantum e Presbyterorum collegio Epiſcopi aſſumebantur, non vero quoad modum conferendi poteſtatem.

XXVIII. Non abnuo, S. Hieronymum, vt primo obtutu reſpicitur, verba doctrinae noſtrae infeſta proferre videri; at illud nobis concedent Aduerſarii, non ſemper verborum ſono inhaerendum, ſed auctoris mentem potius inſpiciendam eſſe, tum praeſertim, cum ille in dicendo vehementior eſt. Nouimus, quod Patres ſaepius, dum errorem inſequuntur, adeo in alteram partem inflectantur, vt videantur oppoſitum tueri errorem. Et quidem omnibus Hieronymi ſcripta luſtrantibus conſtare debet illius in ſcribendo vehementia, vt plures exiſtimarint, eum in vindicanda veritate a veritate ex parte altera deflexiſſe. Attamen catholicam ipſius mentem deprehendere ſemper licet, vbi eam non vno in loco, ſed in pluribus ſuis ſcriptis quis requiſiuerit. Quod quidem hic ſufficienter exhibuimus, noſtram in Hieronymi monimentis doceri doctrinam; quin et iis ipſis in locis, quae aduerſae parti favere videntur, veritatem non ita occultat, vt ea inde nobis haud promicet. Enimuero cum pro dignitate Presbyterali vehementius diſputaſſet, concludit tandem: „Et vt ſciamus traditiones apoſtolicas ſumtas de ve-„teri Teſtamento, quod Aaron et filii eius atque Leuitae in tem-„plo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi et Presbyteri et Diaconi vendi-„cent in Eccleſia." (o) Vbi Diaconos Leuitis, Presbyteros filiis Aaronis, et huic Epiſcopum comparat. Sicut igitur Aaron vti Levitas, ſic et filios ſuos dignitate ſuperabat, pariter *ex traditione Apoſtolica* Epiſcopum Presbyteris ac Diaconis ſuperiorem ad S. Doctoris mentem teneamus, oportet.

XXIX. Non poſſum hic non adnotare impudentiam Nouatorum. Blondellus Caluiniſta ad defenſionem ſui Caluiniani erroris fundamentum potiſſimum ſtatuit in ſcriptis S. Hieronymi, quae eadem ſcripta Dallaeus pariter Caluiniſta tanquam pluribus reſperſa erroribus ſugillat. (p) Ita nimirum illi comparati ſunt animis, vt dum in Patrum ſcriptis vel ſpeciem ſibi fauentis doctrinae offendunt, ambabus ſtatim manibus eam complectantur, et quaſi iam parta victoria triumphos agunt. At vbi ſua in illis, vt aſſolet frequentius, condemnari falſa dogmata perſpiciunt, ea, ipſosque Patres cauillari non erubeſcunt, aut illa certe a Pontificiis adulterata vociferantur. Nolo hic recitare calumnias, quibus Eccleſiae Patres onerant Lutherus, Caluinus, Philippus Melanchton, Centuriatores Magde-bur-

(o) *Epiſt. cit. ad Euang.* (p) *Lib. de vero Patrum vſu.*

Digitized by Google

burgenſes, Brentius, Tilmannus Heshuſius, Theodoricus Schepſius, Henricus Bullingerus, Adam Schultetus, Bartholomaeus Cauſſaeus, etc. quas legere poteris apud Iodocum Coccium. (q) Audiamus tantum, quam petulanti calamo debachati fuerint in S. Hieronymum, cuius gratia hanc animaduerſionem adnectimus, et de quo S. Auſtinus ſequens fert teſtimonium: „Graeco et latino inſuper et hae„braeo eruditus eloquio, ex occidentali ad orientalem tranſiens „Eccleſiam in locis ſanctis, atque in literis ſacris, vſque ad de„crepitam vixit aetatem, cuius nobis eloquium ab Oriente vſque „in Occidentem ad inſtar lampadis reſplenduit. Hic omnes, vel „pene omnes qui ante illum ex vtraque parte orbis de doctrina „eccleſiaſtica ſcripſerant, legit, nec aliam de hac re tenuit promp„ſitque ſententiam.“ (r) Lutherus ſcribit: „Hieronymus inter „Eccleſiae Doctores numerari non debet, nam fuit haereticus.... „Nullum ſcio, cui aeque infeſtus ſim, ac Hieronymo etc.“ (s) Centuriatores Magdeburgenſes: „Hoc immoderatiſſime homo na„tura acer et vehemens Hieronymus ferens duobus Vigilantium bre„vibus ſcriptis adortus eſt, ſed conuiciis magis et importunitate „quam argumentis et rationibus pugnauit.“ (t) Brentius: „Vt „dicam, quod res eſt, quaeſo te Sote, ſi volueris nomini Hiero„nymiano conſulere, non multum oſtentes ſcriptum Hieronymi „aduerſus Vigilantium. Ignotum non eſt, quibus aniculis et hy„pocritis Hieronymus exhibeat ſe in talibus argumentis conducti„tium Rhetorem. Nec libet in praeſenti excutere, quanta con„tumelia Hieronymus eodem ſcripto coniugium afficiat, quam in„eptis ſcomatis honeſto Viro indignis ludat, quam virulenta male„dicentia in Aduerſarium inuehatur, quam ſecure ſacrae Scriptu„rae teſtimonia detorqueat etc.“ (v) Theodorus Beza: „Hierony-

„mum

(q) *In theſauro catholico Lib. VIII. de ſignis Eccleſiae Art. XII.*

(r) *Lib. I. contra Iulianum Cap. VII.*

(s) *In Colloq. conuiual. Cap. de Scholaſticis Theologis.* Similia habet *Cap. de Patribus Eccleſiae.* Item *de ſeruo arbitrio*, ibi: „Hieronymus cum iudicio „legi debet, et multa ille (ea fuit oſcitantia et hebetudo eius in Scripturis „intelligendis) inepte ſcribit etc. Hieronymus mihi obiicitur, homo nul„lius neque iudicii, neque diligentiae etc. Quid carnalius, imo quid magis „impium, ſacrilegum et blaſphemum dici poteſt, quam id quod Hierony„mus ſcribit: Virginitas coelum, coniugium terram replet?“ Patefacit, quid animum ipſius exarcebarit, nimirum virginitatis encomium impura mens ferre nequit.

(t) *Centur. V. Cap. VIII. de Vigilantio.*

(v) *In Apologia Confeſſionis Wittenbergenſis de inuocatione Sanctorum.*

Digitized by Google

„ mum quis ferre poſſet vſque adeo deprauantem Apoſtoli verba etc.“ (x) Caluinus : „ Hieronymus vir natura fuit cauillator, luſit pro-„ terue in corrumpenda Scriptura : nulla fuit ei religio, huc et „ illuc torquere Scripturae locos etc.“ (y) Et Caluini diſcipulus Blondellus ex Hieronymo fidei riuulum deriuet?

XXX. Alterum quod attinet, abs rubore non pauci effutiunt, a Romanenſibus Patrum Libros corruptos fuiſſe. Ita Franciſcus Budaeus (z) Loeſcherus (a) Wendlerus (b) Pfaffius (c) Caveus (d) ac praeſertim Riuetus, qui hunc quaſi canonem ſtatuit, „ corruptum eſſe, quidquid apud Pontificios procuditur, quibus „ Patrum deprauatio magna ex parte imputanda eſt.... Monachos „ audacter admodum falſarias manus intuliſſe Scriptoribus eccleſia-„ ſticis, integras ſententias et paginas totas obliterando, imo inte-„ gris ternionibus et libris exciſis.“ (e) Verum noſtrum hic non eſt, tam apertas calumnias refutare. Tantum verbis Auguſtini Nouatores alloquimur, quibus ipſe Manichaeos eſt allocutus : „ Quid „ vobis faciam, quos ita obſurdefecit iniquitas, vt quidquid aduer-„ ſum vos ex Scripturis (ex Patribus) probatum fuerit, non eſſe „ dictum ab Apoſtolo (a S. Patre) ſed a neſcio quo falſario ſub „ eius nomine ſcriptum eſſe, dicere audeatis? Infelices animae! de „ quo libro certum erit, cuius ſit, ſi literae, quas Apoſtolorum „ (Patrum) dicit Eccleſia, ab ipſis Apoſtolis (Patribus) propag-„ ata, per omnes gentes declarata, vtrum Apoſtolorum (Eccle-„ ſiae Patrum) ſint, incertum eſt?... Platonis, Ariſtotelis, Ci-„ ceronis, Varronis, aliorumque eiuſmodi auctorum libros vnde „ nouerunt homines, quod ipſorum ſint, niſi eadem temporum ſi-„ bimet ſuccedentium conteſtatione continua?“ (f) Haec ideo adducenda duxi, vt exhiberem, ſolo contemptu abigendas eſſe Novatorum vociferationes, ad Patres, in praeſenti materia ad S Hieronymum prouocantium; cum, vt ipſi volunt, aut peruerſa illi docue-

(x) *De Polygamia et diuortiis.* Et *ad Cap. XXIII. Act. Apoſt.* Hieronymum compellat *Apoſtolo iniurioſum, aperte blaſphemum, ſceleratum et impium, qui audacia intollerabili Scripturas palam detorſerit.*

(y) *Ad Cap. IV. Ioanne v.* 14.

(z) *In Iſagoge hiſtorico-theolog. ad Theolog. Vniuerſ. Part. II. Cap. III. de Theol. Patriſtica pag.* 588.

(a) *Differt. de Latrociniis in Scriptor. publ. praecipue Patres commiſſis ab Haeret.*

(b) *Schediaſm. de Lib. a Pontificiis, aliiſque haereticis in praeiudicium doctrinae purior. noſtra et ſuperiore aetate ſuppreſſis et corruptis.*

(c) *Introduct. ad hiſtor. theolog. literar. prolegom.* §. *II. pag.* 7.

(d) *Praefat. Hiſtor. Liter.*

(e) *Lib. de Patr. Auctorit. Cap. XII. pag.* 82.

(f) *Lib. XXXIII. contra Fauſtum Cap. VI.*

Digitized by Google

cuerint: aut ſi vera, ea fuerint deprauata. Quis, quaeſo, ſe moveri patitur aut auctoritate peruerſa loquentis, aut ſcriptis apocryphis?

XXXI. Sed ad noſtrum redeamus propoſitum. Ordo nos perducit ad Doctorum aquilam S. Auguſtinum, quem ſicut Hieronymo, ſic et ſibi conſentientem aſſerit Blondellus ob verba, quae eidem S. Hieronymo reſcripſit, quaeque ita habent: „ Quamquam ſecundum honorum vocabula, quae iam Eccleſiae vſus obtinuit, Epiſcopatus Presbyterio maior ſit, tamen in multis Auguſtinus Hieronymo minor eſt.“ (g) Verum ſicut Hieronymus, ita multo magis Auguſtinus inique incuſatur falſitatis. Certe hanc ex laudatis Hipponenſis verbis non extundit Blondellus; nec enim ſancto Doctori ſermo ibi eſt de vſu Eccleſiae nouiter introducto, ſed iam ab eius initio recepto. Nihil dicam, quod de vocabulis potius loquatur, quae, vt memorauimus, Epiſcopo et Presbyteris communia erant, non vero de auctoritate, quae ſemper diſcreta erat. Exhibuimus iam ſupra, quae fuerit mens et doctrina Auguſtini, quae et inde amplius pateſcit, quod Aerium prorſus ſit auerſatus, de quo ita ſcribit: „ Aerius, cum eſſet Presbyter, doluiſſe fertur, quod non potuit Epiſcopus ordinari: et in Arianorum haereſin lapſus, propria quoque dogmata addidit nonnulla dicens, Presbyterum ab Epiſcopo nulla debere differentia diſcerni.“ (h) Eapropter eidem Auguſtino reſpondens Hieronymus illum ita compellauit: vale amice mihi cariſſime, aetate fili, dignitate Pater.

XXXII. Superſedeo vlterioribus traditionis monimentis ex ſequiori aeuo adducendis, vbi haud difficulter Nouatores nobis pollicem prement, concedentes, Epiſcopos Presbyteris praecelluiſſe in Eccleſia, etſi huius potius conſuetudini, quam diuinae inſtitutioni id tribuant; quod quidem ex dictis abunde confutatum manet. Sed liceat ex aduerſariis quaerere, quonam tempore haec conſuetudo in Eccleſia inualuerit? Sane laudatus Moshemius non veretur, aut potius fateri cogitur, ab Apoſtolorum aeuo hunc morem fluxiſſe. Iſti igitur Eccleſiae plantatores perſpexerint in fundatae a Chriſto Eccleſiae emolumentum eam ordinationem cedere. Si Eccleſiae commodum hanc ordinationem expoſcebat, repeto, a diuino Fundatore eam profectam eſſe quis ambiget? Enimuero dicere, Eum in aliquo defeciſſe, quo dilectae ſponſae ſuae, quam caro ita pretio, proprio ſanguine, acquiſiuit, promoueretur bonum, inſanum ac blaſphemum videtur.

(g) *Epiſt. LXXXII. alias XIX. ad Hieronymum.* (h) *Lib. de Haereſib. Cap. LIII.*

XXXIII. Poſtremo ſupremos controuerſiarum iudices in Eccleſia a Chriſto conſtitutos eſſe Epiſcopos, inde patet, quod ii ſoli, ſi ius diuinum reſpiciamus, excluſis omnibus aliis, etiam Presbyteris, tanquam iudices in conciliis ſedeant, ac ſuffragia deciſiua ferant, vt alibi demonſtrauimus. Suprema igitur in Eccleſiae regimine eisdem poteſtas ac iurisdictio competat, neceſſum eſt. Sed et ſuprema eosdem praeditos eſſe Ordinis poteſtate, qua Presbyteri carent, conuincimur ex eo, quod ordinationes ab aliis factas quam Epiſcopis, Eccleſia ſemper nullas et irritas declarauerit. Hinc orta controuerſia de ordinationibus factis a Chorepiſcopis, quas quidam validas aſſerebant tempore Caroli M. Arno Salisburgenſis Archiepiſcopus a ſuis collegis Galliae et Germaniae Epiſcopis ad Leonem III. Papam miſſus reſponſum tulit, „ nullum fore Presbyterum vel Diaconum ab eis ordinatum. . . neque quicquam quod de epiſcopali miniſterio praeſumpſere (Chorepiſcopi) eſſe peractum: ſed quidquid ex his ab eis erat illicite praeſumptum, omnia a canonice ordinatis Epiſcopis debere rite peragi, et in meliorem ſtatum reformari: quia quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit, vt videatur iteratum." Quare iidem Praeſules in Synodo Ratisbonae conuenientes hoc reſponſum Papae promulgarunt aſſerentes, „ quidquid a Chorepiſcopis epiſcopaliter praeſumptum eſt, irritum eſſe, nam Epiſcopi non erant, quia nec canonice a tribus Epiſcopis ordinati, ideo de epiſcopali miniſterio nihil agere potuerunt." (i) Vbi vides, rationem irritae ordinationis a Chorepiſcopis factae refundi in defectum characteris epiſcopalis. Interim non negamus, quod et Chorepiſcopi valide nonnunquam Presbyteros ordinarint, at ii erant, qui, vt loquitur concilium Antiochenum (k) *Epiſcopi ordinationem perceperunt.* Fatentur ſiquidem Eruditi, etſi communiter Chorepiſcopi ſimplices tantum Presbyteri fuerint, qui in pagis aut vicis eminentiorem iurisdictionem prae aliis Presbyteris obtinuerint, Epiſcoporum vices circa quaedam obeuntes; fuiſſe tamen quandoque nonnullos, qui vere Epiſcopi ordinati erant; vt vel ex laudati concilii Antiocheni verbis conſtat, quae Dionyſius Exiguus ita vertit: „ Qui in vicis vel poſſeſſionibus Chorepiſcopi nominantur, quamuis manus impoſitionem Epiſcoporum perceperint, et vt Epiſcopi conſecrati ſint, tamen ſanctae Synodo placuit, vt modum proprium recognoſcant." Hiſtoriae et diſciplinae eccleſiaſticae ignarus ſit, neceſſum eſt, qui contendere

re

(i) Iſta leguntur in *ſelectis Capitulis Tit. IV. Cap. I. Tomo II. Concil. Galliae ad an. DCCC.* (k) *Can. X.*

Digitized by Google

re auderet, ab alio quam ab Epiſcopo vnquam ordinatum fuiſſe Presbyterum, aut hunc ſine noua ordinatione in Epiſcopum aſſumptum fuiſſe.

XXXIV. Audiamus coronidis loco Patres Concilii Hiſpalenſis: „ Relatum eſt nobis, *inquiunt*, Agapium Cordubenſis Vrbis „ Epiſcopum frequenter Chorepiſcopos vel Presbyteros ordinaſſe „ (qui iuxta canones vnum ſunt) qui abſente Pontifice altaria eri„ gerent, baſilicas conſecrarent: quod quidem mirum non eſt, id „ praecepiſſe Virum eccleſiaſticae diſciplinae ignarum, et ſtatim „ a ſeculari militia in ſacerdotale miniſterium delegatum. Ergone „ vltra a nobis talis licentia vſurpetur, communi ſententia ſtatuen„ dum oportuit, ſcientes, quia ſicut Presbytero vel Chorepiſcopo „ illicita eſt conſecratio altaris, ita et conſtitutio. In diuinis enim „ Literis praecipiente Domino, ſolus Moyſes in tabernaculo DEI „ erexit altare, ſolus ipſe vnxit: quia ſummus vtique Sacerdos „ DEI erat, ſicut ſcriptum eſt de eo: Moſes et Aaron in Sacerdo„ tibus eius. Ideoque id quod tantum Principibus Sacerdotum fa„ cere iuſſum eſt, quorum typum Moſes et Aaron tenuerunt, Pres„ byteri, qui filiorum Aaron geſtant figuram, arripere non prae„ ſumant. Nam quamuis cum Epiſcopis plurima illis myſteriorum „ communis ſit diſpenſatio, quaedam tamen auctoritate veteris Le„ gis, quaedam nouellis et eccleſiaſticis regulis (id eſt et auctoritate no„ vae Legis, et Eccleſiae) ſibi prohibita nouerint, ſicut Presbyterorum, „ Diaconorum et Virginum conſecratio, ſicut conſtitutio altaris, be„ nedictio et vnctio. Siquidem nec licere iis Eccleſiam vel altaria „ conſecrare, nec per impoſitionem manus fidelibus baptizandis „ vel conuerſis ex haereſi paracletum Spiritum tradere, nec chriſ„ ma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontem ſignare. Haec „ omnia illicita eſſe Presbyteris vel Chorepiſcopis, qui Pontificatus „ apicem non habent, quod ſolis deberi Epiſcopis auctoritate Ca„ nonum (conformiter ad ius diuinum) praecipitur, vt per hoc „ diſcretio graduum et dignitatis faſtigium ſummi Pontificis de„ monſtretur." (l)

(l) *Can. VII.* Concilium hoc celebratum fuit anno DCLX.

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Demonſtratur Epiſcoporum poteſtas immediate a Chriſto deſcendens.

I. Duplicem mox in Epiſcopo conſiderauimus poteſtatem, vnam, quae ordinatur ad ſanctitatem animarum curandam virtute Sacramentorum, vocaturque poteſtas Ordinis: Alteram, quae eamdem animarum ſanctitatem reſpicit, ac exercetur per conſtitutiones, anathemata etc. hanc poſteriorem vocant poteſtatem iurisdictionis. Quoad priorem nobis nihil hic dicendum occurrit; ſiquidem omnes cum Lainio concedant, eam proxime originari ab ipſo Chriſto. De poteſtate iurisdictionis igitur ſermo nobis deinceps erit; et iſtam pariter immediate a Chriſto, non vero a Pontifice deriuari, ex Scripturis Sacris pariter et Traditione ſatis manifeſte deducimus.

II. Apoſtoli monitum nobis primo occurrit, quod Aſiae valedicens Epiſcopis reliquit, dicens: *Attendite vobis et vniuerſo Gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam* DEI, *quam acquiſivit ſanguine ſuo.* (a) Verba haec, etſi omnis alia ratio deficeret, rem noſtram conficere videntur, nec enim alium ſenſum prae ſe ferunt et habent, quam quod Epiſcopis a Spiritu ſancto detur poteſtas regiminis eccleſiaſtici. Quid enim, quaeſo, aliud eſt *poſitum eſſe a Spiritu ſancto regere Eccleſiam*, quam accepiſſe iurisdictionem et poteſtatem a Spiritu ſancto regendi Eccleſiam? ſi Princeps ponit aut conſtituit, qui prouinciam regat, nemo ambigit, a Principe iurisdictionem aut facultatem regendi prouinciam in conſtitutum deriuari immediate. Igitur et ſacer textus nullum alium admittere poteſt ſenſum, quam quem deſignauimus, et deſignat Alexander IV. Archiepiſcopo Rothomagenſi ac Suffraganeis huius reſcribens: „ O formidoloſa ſpeculatorum, QVOS POPVLO SVO DISPENSATIO DIVINA „ PRAEPOSVIT, et periculoſa conditio, ſi perfunctorie agatur, ſi eo „ modo in ſollicitudine commiſſa non militent, quomodo ſummus „ praecipit Imperator, ſi ſibi et vniuerſo Gregi, CVI DEVS EOS „ CVSTODES ET EPISCOPOS CONSTITVIT, non attendant! etc.“ (b) Deſignauit hunc ſenſum ante Alexandrum Praedeceſſor ipſius Ioannes VIII. ſcribens Epiſcopis, qui a Carolo recedentes Ludouico Regi

(a) *Act. Cap. XX.*
(b) *Apud Odoricum Raynaldum Tom. XIII. Annalium eccleſiaſt.*

Digitized by Google

Regi adhaeſerunt : NONNE VOS, inquit, POSVIT SPIRITVS SANCTVS EPISCOPOS REGERE ECCLESIAM DEI, QVAM ACQVISIVIT SANGVINE SVO?

III. Verba tam aperta in alienum prorſus ſenſum detorquere conantur Aduerſarii. Lainius aſſerit, ibi ſermonem haud eſſe de collatione quadam proxime a DEO facta, rationem aſſignat petens: *quonam pacto Spiritus ſanctus Epiſcopos poſuerat, num forte eos ipſe tulerat, et ſua quaſi manu collocarat in Epiſcopatus ſede? Minime vero; ſed per electionem ab Epiſcopis peractam.* Ita ille. Quid ineptius dici a Viro alias doctiſſimo potuiſſet? An igitur Romanus Pontifex non eligitur a Cardinalibus? an DEVS ipſum collocat quaſi manu in ſede Pontificali? Profecto Lainius oſtendit, cauſam ſuam infirmis niti fundamentis, qui tam indigna profert, qualia fere cuncta ſunt, quae in ſacro coetu perorauit; vt merito dixiſſe videatur Cl. Barthelius, orationem illam *petitionem eſſe, multiplicatamque variatis phraſibus ſine probatione elocutionem principii, quod hic in quaeſtione vertitur.* (c) Alia haud opus eſt refutatione.

IV. Alii cum Fagnano (d) aſſerunt, quod Epiſcopi conſtituti ac poſiti dicantur a Spiritu ſancto non ſimpliciter et ſolitarie, ſed per interpoſitam perſonam Romani Pontificis, a quo proxime accipiunt iurisdictionem. Rationem aſſignat Fagnanus, et ex eo Cl. Rupertus Starch (e) ſequentem: „Ita accipienda eſſe verba Apoſtoli „ hoc diſcurſu euidenter demonſtratur: vel enim per Eccleſiam intelli„ gi voluit Eccleſiam vniuerſalem reſpectu ſingulorum Epiſcoporum, „ ita vt quilibet Epiſcopus ſit poſitus a Spiritu S. ad regendam Eccleſiam „ vniuerſalem: et hoc eſt erroneum, quia haec poteſtas ſoli Petro Apo„ ſtolorum Principi, eiusque in cathedra ſucceſſoribus Romanis Pon„ tificibus. . . a Chriſto collata eſt: vel verbum iſtud *Eccleſiam* intel„ ligitur de Eccleſiis particularibus et ſingularibus, ita vt quilibet „ Epiſcopus poſitus ſit a Spiritu ſancto ad regendam ſuam Eccle„ ſiam particularem: vt ita concurrant omnes collectiue ad regi„ men vniuerſalis Eccleſiae: at etiam hic ſenſus vim infert veritati, „ quia Chriſtus populos Apoſtolis non diuiſit, quos ad docendum „ omnes gentes miſit, et multo minus Epiſcopis eorum ſucceſſori„ bus. Non ergo diuiſionem iurisdictionis immediate a Chriſto fa„ ctam eſſe fingere debemus, quam factam eſſe ex Euangelio non „ habemus; nulla enim limitatio aut quoad ſubditos aut quoad ca„ ſus ibi legitur. Itaque Epiſcopi, quos alloquebatur D. Paulus,

D 3 „erant

(c) *In Iure Eccleſiaſtico Vniuerſali* §. *II. Coroll. VI.*
(d) *Ad Cap. I. de Offic. Iud. Ord. n.* 50.
(e) *In Iudice Eccleſiaſtico Ordinario Part. II. Sect. II. Cap. II.*

Digitized by Google

„ erant quidem a Spiritu ſancto poſiti, non tamen immediate et „ proxime, ſed per ipſos Apoſtolos, a quibus acceperunt iurisdi- „ ctionem, atque deinde Epiſcopi conſtituti ſunt a Spiritu ſancto „ ad regimen Eccleſiae mediante iurisdictione, quae quemadmo- „ dum et ipſae Eccleſiae et ſubditi, ſingulis tribuitur et praefini- „ tur a Romana Eccleſia. Quia quod Eccleſia facit, hoc idem di- „ citur Spiritus ſanctus facere, non proxime, ſed per interpoſitam „ Eccleſiam; quae in Conciliis, quando Canones condit, dicit: *Vi- „ ſum eſt Spiritui ſancto et nobis;* licet non omnes Canones dicantur „ eſſe de iure diuino, nec eſſe proxime a Spiritu ſancto, ſed tan- „ tum mediante interpoſitione Eccleſiae." Haec etſi nonnihil pro- lixiora exſcribenda duxi; cum Aduerſarii iis ſuam cauſam demon- ſtratam eſſe dicant.

V. Verum enimuero hunc Fagnanianum et Starchianum diſ- curſum vanum penitus eſſe, manifeſte inde patet, quod vnice pro Papa tamquam immediato fonte epiſcopalis iurisdictionis peroret, quia illius auctoritate diuiſio fit et erectio Dioeceſium ſeu Epiſcopa- tuum. At ſi iſtud tenet, a Metropolita, ab Epiſcopis comprovin- cialibus, imo a Principibus Secularibus Epiſcoporum iurisdictionem emanare dicere cogeremur; cum nos hiſtoria eccleſiaſtica edoceat, iſtorum auctoritate epiſcopales Sedes erectas fuiſſe atque diuiſas. Refert Thomaſinus (f) Childebertum Regem ſcripſiſſe Leoni Archiepiſco- po Senonenſi, vt aſſenſum praeberet creando nouo Epiſcopo Melo- duni, cui Archiepiſcopus, *id ſine iuſſu glorioſiſſimi Domini Principis no- ſtri Theodeberti Regis,* in cuius ditione is erat, *fieri haud poſſe.* Ca- nones tam Africani quam Nicaeni vetant, ne ſine aſſenſu Metropo- litae in prouincia maioris momenti quidquam pertractaretur, qua- le negotium eſt procul dubio diuiſio et erectio Epiſcopatuum. Ii- dem Canones Africani diſertis verbis prohibent, ne abſque adnutu Epiſcopi, cuius dioeceſis ſecanda, nouus erigeretur Epiſcopatus (g)

VI. Non abnuo, authoritate Romani Pontificis erectos fuiſſe et diuiſos Epiſcopatus. Sic Gregorius III. S. Bonifacio pallium et nomen Archiepiſcopale tranſmiſit, ſcribens dein ad Germaniae Pro- ceres: „ Epiſcopos vel Presbyteros quos ipſe ordinauerit, per Apo- „ ſtolicam ſibi datam authoritatem in Eccleſiae miniſterio reci- „ piatis." (h) Idem S. Bonifacius Zachariae Gregorii ſucceſſori ſup- plicauit pro confirmatione Epiſcopatuum Herbipolenſis, Buraburgenſis et Erphesfurtenſis. „ Haec tria loca, *inquit,* propria authori- „ tate

(f) *Diſciplin. V. et N. Eccleſ. Part. I. Lib. I. Cap. LV.*
(g) *Can. LXXXVI. LXXXVIII.* (h) *Epiſt. VI.*

„ tate et charta Apoſtolatus veſtri roborari et confirmari poſtulamus, „ vt per authoritatem et praeceptum ſancti Petri, iuſſionibus Apoſtolicis fundatae ſint tres in Germania epiſcopales Sedes.“ (i) At huius nulla fuit neceſſitas; cum ſecundum ius antiquum erectio Epiſcopatuum ac confirmatio non fuerit reſeruata Pontifici, ſed ea facultas Epiſcopis, aut Concilio prouinciali competebat, vt tradunt et demonſtrant Fleurius (k) Van Eſpen (l) et Thomaſinus. (m) Corruit itaque Fagnani fundamentum, cui ſuam ſuperſtruxit doctrinam, quod nimirum Papae a Chriſto fuerit tradita ac reſeruata poteſtas erigendi aut diuidendi Epiſcopatus.

VII. Dicet fors quiſpiam, quod poteſtas haec erigendi et diuidendi Epiſcopatus a Pontifice in Concilia prouincialia aut Epiſcopos fuerit transfuſa, vt nomine et auctoritate Papae dictam poteſtatem exercuerint. At nonne haec reſponſio petitio eſt principii? Vbi et quando Pontifices hanc facultatem delegarunt? ſequiora fors tempora aſſignabunt Aduerſarii, vbi falſis Decretalibus deferri coeptum. Verum cordatus nemo iis mouetur hodie; cum conſtet, iis antiquam Eccleſiae diſciplinam fuiſſe labefactatam. Sed demus etiam, Papae competere facultatem diuidendi et erigendi Epiſco-

(i) Ita habet Baronius *ad annum DCCXLIII.*

(k) *Inſtitution au droit eccleſiaſtique premiere partie Chapit. XV.* vbi ita loquitur: „ L'autorité des Conciles provinciaux ſuffiſoit, ſuivant l'ancien droit, „ pour l'erection des Evechés, et des Metropoles; mais depuis que les fauſſes „ Decretales ont été reçues, on n'en erige plus ſans l'autorité du Pape.“

(l) *In commentario ad II. Part. Gratiani Cauſ. XVI.* vbi habet: „ Quod hic „ videtur Gratianus attribuere ſoli Romano Pontifici (*erigere Epiſcopatus*) „ commune fuit aliis etiam Epiſcopis, maxime Metropolitanis, vti euincit „ hiſtoria eccleſiaſtica, et inter alia factum S. Auguſtini circa Epiſcopatum „ Fuſſalenſem cum conſenſu Primatis, alias Metropolitani Numidiae a ſe erectum.“

(m) L. cit. vbi n. XIII. ita fatur: „ Quod ſpectat ad nouas Chriſtianorum colonias nouoſque Epiſcopatus, ſtatuerant Africana Concilia, vt is eſſet Eccleſiae plebiſue cuiuslibet Epiſcopus, qui eam vnitati lucratus eſſet catholicae, et triennium pacifice obtinuiſſet. Conceſſerant etiam Epiſcopis quibuslibet, ea Eccleſiae ſuae recolligere et conſecrare loca, quae a propriis „ Epiſcopis, ante ſex menſes monitis, negligerentur.“ Et poſtea: „ Quae „ quamuis ita ſint, longa tamen temporum ſerie rerumque viciſſitudine factum eſt, vt conſtituendi Epiſcopatus noui poteſtas penes ſolum Romanum Pontificem eſſet. Non quod id ſibi iuris ipſe reſeruauerit, vt imminuta Epiſcoporum iurisdictione augeret ſuam: ſed quod aut negligentiores eſſent Epiſcopi alii in proferendis Chriſtianae reipublicae finibus, aut „ quod id honoris primae Sedi haberent, aut quod Pontifici Principes confiderent magis, aut quod Petri Sedem populi frequentius adirent, aut „ quod Zelo fidei magis arderet Pontifex etc.“ Similia fere repetit *Cap. ſeq. LVI. n. IV. et V.*

Digitized by Google

ſcopatus, non inde inferretur, iurisdictionem quoque ab ipſo in Epiſcopum dimanare; ita enim dioeceſium fines determinans nihil aliud agit, quam quod iurisdictioni, vel iam collatae, vel virtute ordinationis conferendae det obiectum, in quod Epiſcopus ſuam iurisdictionem exerceat, vti antea Metropolitae ac Concilia provincialia faciebant. Itaque etſi diuiſio plebis et Epiſcopatuum facta haud ſit immediate a Chriſto, nihil prorſus inde deducitur, iurisdictionem epiſcopalem non ab ipſo, ſed a Pontifice immediate deriuari.

VIII. Nec eludi clarus Scripturae textus poteſt per hoc, quod, vt Lainius aſſerit, ſaepius in iisdem Sacris Literis habeatur ordinatio diuina, quae tamen non immediata, ſed mediata accipi poteſt et debet; dicitur namque in eisdem omnem poteſtatem a DEO eſſe, ac Principes ſeculares quoque a DEO conſtitutos poſitoſque eſſe, quin tamen omnes ab ipſo proxime regnum obtineant. Hoc, inquam, eludi doctrina noſtra nequit; admiſſa namque hac interpretatione, alius quiſpiam aequo iure explanare textus Scripturae poſſet, qui poteſtati Pontificiae fauent. Aut ex Sacris Literis depromatur textus, qui amplius in fauorem immediate a Chriſto deſcendentis, qua certo Pontifex gaudet, ſupremae auctoritatis aſſumi poteſt, quam laudatus in fauorem immediatae iurisdictionis Epiſcoporum a Spiritu ſancto conſtitutorum.

IX. Inde alterum ex Scriptura deſumptum nobis ſuppeditatur argumentum. Suprema Pontificis auctoritas ſtabilitur per hoc, quod ſit ſucceſſor ſancti Petri, cui Chriſtus illam auctoritatem tribuit dicens: *Tu es Petrus, et ſuper hanc petram aedificabo Eccleſiam meam, et portae inferi non praeualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo Claues regi coelorum. Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum et in coelis: et quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum et in coelis.* (n) Item per verba: *Paſce oues meas* etc. (o) Sed non minus certum eſt, Epiſcopos eſſe ſucceſſores Apoſtolorum: itaque et auctoritate Apoſtolorum ii ſint muniti oportet; ſicut auctoritate S. Petri Pontifex, vtpote huius Succeſſor, munitus eſt. Quod Epiſcopi ſuccedant Apoſtolis, ſuperius exhibuimus. Sed et plura ipſorum Romanorum Pontificum teſtimonia hac pro doctrina adducere poſſemus; vnius interim ſed luculentiſſimum Papalis Auctoritatis acerrimi vindicis ſufficiat. Eſt is Nicolaus I. qui ad vniuerſos Galliae Epiſcopos ita ſcripſit: „Subiturus (Chriſtus) tamen ad coelos hanc (*Eccleſiam*) Apoſtolis commendauit, ac per eos tanquam haereditario iure ſucceſſoribus eorum, nobis ſcilicet, quos Paſtores et Epiſcopos ac Pontifices ſu-

(n) *Matth. Cap. XVI.* (o) *Ioann. Cap. XX.*

„ ſuper iſtam conſtituit, eius prouidentiae curam indulſit, quate-
„ nus pro patribus nati ſunt filii, et pro eis conſtituti Principes in
„ omnem terram, imitatores eorum eſſemus, ſicut et ipſius Chri-
„ ſti.“ (p)

X. Sunt nonnulli, qui, vt ſe vident nimium opprimi huius argumenti pondere, aſſerere non reformidant, Apoſtolos reliquos a S. Petro immediate accepiſſe iurisdictionem. Ita Fagnanus recitatus, inquiens: „Supereſt, vt Apoſtolis et aliis Epiſcopis Eccleſiae, et ſub-„ditis et conſequenter iurisdictio praefinita fuerit immediate primum „a Petro, et deinde a ſummis Pontificibus, eius ſucceſſoribus.“ Verum nihil magis abſurdum dici poſſe videtur; cum aperte Scriptura refragetur. S. Paulus de ſe ipſo fert teſtimonium: *Paulus Apoſtolus non ab hominibus neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum et Deum Patrem.* (q) Et iterum: *Cum autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meae, et vocauit per gratiam ſuam... continuo non acquieui carni et ſanguini, neque veni Hieroſolymam ad Anteceſſores meos Apoſtolos, ſed abii in Arabiam.* (r) Demum proteſtatur: *Mihi enim qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt. Sed econtra cum vidiſſent quod creditum eſt mihi Euangelium praeputii, ſicut et Petro circumciſionis. Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt et mihi inter gentes.* (s) Nonne hic Apoſtolus aperte docet, ſe aeque ac Petrum ſuam a Chriſto accepiſſe poteſtatem? Dein an non a ſolo Chriſto conſtituti ſunt Apoſtoli? *Nonne ego vos duodecim elegi?* ſunt verba Chriſti (t) Et denuo: *ſicut miſit me Pater, et ego mitto vos.* (v) Quem locum, vt perhibet Bellarminus, Patres exponunt, iis verbis Apoſtolos effectos fuiſſe Chriſti vicarios, imo ipſum Chriſti officium et auctoritatem accepiſſe.

XI. Alii itaque cum laudato Bellarmino concedunt quidem, Apoſtolorum iurisdictionem immediate a Chriſto profectam fuiſſe, ſed hac in ratione Epiſcopos non ſuccedere Apoſtolis, eoquod iſti tantum extraordinarii et quaſi delegati Paſtores fuerint, quibus non ſucceditur. Hoc ſuum aſſertum Bellarminus ita comprobari exiſtimat: „ quia Epiſcopi nullam habent partem verae Apoſtolicae
„ auctoritatis. Apoſtoli poterant in toto terrarum orbe praedica-
„ re, et fundare Eccleſias, vt patet Math. vlt. v. 19. et Marci
„ vlt. v. 20. hoc non poſſunt Epiſcopi. Item Apoſtoli poterant
„ ſcribere libros canonicos, vt omnes fatentur, hoc non poſſunt
„ Epiſcopi. Apoſtoli habuerunt donum linguarum, et miraculo-

E „ rum

(p) *Epiſt. XLVII. in Tomo II. Conciliorum Galliae.*
(q) *Galat. Cap. I. v.* 1. (r) *Eod. L. v.* 15. 16 *et* 17. (s) *Ead. Epiſt. Cap. II. v.* 6. 7. *et* 8.
(t) *Ioan. Cap. VI.* (v) *Ioan. Cap. XX.*

Digitized by Google

„ rum ; non habent Epiſcopi. Apoſtoli in totam Eccleſiam habue-
„ runt iurisdictionem, non habent Epiſcopi. Praeterea non ſuc-
„ ceditur proprie niſi praecedenti : at ſimul fuerunt in Eccleſia
„ Apoſtoli et Epiſcopi, vt patet de Timotheo, Tito, Euodio,
„ aliisque permultis. Si igitur Epiſcopi Apoſtolis ſuccedunt, cui
„ Apoſtolo ſucceſſit Titus ? cui Timotheus ?" Ita ille. (x)

XII. Indigna magis reſponſio a doctiſſimo Cardinali dari haud potuiſſet. Si *delegati* tantum Paſtores Eccleſiae fuerunt Apoſtoli, a quonam ii fuere delegati ? non a Petro, vt ipſe fatetur Bellarminus, illorum iurisdictionem immediate a Chriſto deriuans. Igitur et a Chriſto illos delegatos fuiſſe fateri debet. Sed cur non pariter a Chriſto delegatus Eccleſiae Paſtor Papa dici deberet ? Potuit Petrus libros canonicos ſcribere, vt omnes fatentur; hoc non poteſt Papa. Petrus habuit donum linguarum et miraculorum; non habet Papa etc. Quam inepte itaque a Cardinale haec congeruntur, quibus viam pandit Nouatoribus, vt Epiſcoporum ſpernant auctoritatem. Damnavit Synodus Tridentina errorem Sectariorum, dicentium, Epiſcopos Presbyteris haud eſſe ſuperiores, declarans, „Epiſcopos, qui
„ in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc hierarchicum or-
„ dinem praecipue pertinere, et poſitos, ſicut idem Apoſtolus ait,
„ a Spiritu ſancto regere Eccleſiam DEI, eosque Presbyteris ſupe-
„ riores eſſe etc." (y) Vbi non tantum de poteſtate ordinis, ſed et iurisdictionis Concilium loquitur ; cum alleget verba Apoſtoli monentis Epiſcopos, vt debite regant Eccleſias ſibi a Spiritu ſancto collatas : Succedunt igitur, ad mentem Sacrae Synodi, Epiſcopi Apoſtolis in regimine Eccleſiae, adeoque in iurisdictione a Chriſto Apoſtolis collata ; id quod et probant omnia ea momenta, quae pro ſucceſſione Epiſcoporum in locum Apoſtolorum ſupra retulimus. Errat proinde Cardinalis reſtringens hanc ſucceſſionem ad poteſtatem ordinis. Nec abſoluitur a falſitate, aliam quamdam fingens ſucceſſionem, „ quae ſit per quamdam ſimilitudinem et proportionem, quia
„ nimirum ſicut Chriſto in terris viuente, primi ſub Chriſto erant duo-
„ decim Apoſtoli, deinde ſeptuaginta duo diſcipuli ; ita nunc pri-
„ mi ſub Romano Pontifice ſunt Epiſcopi, poſt eos Presbyteri,
„ inde Diaconi etc." Quis vnquam Epiſcopos dixit ſuccedere ita Apoſtolis, vti Papa ſuccedit Chriſto? Nonne omnes potius aſſeuerant, Pontificem ſuccedere Petro, et Epiſcopos reliquis Apoſtolis ? Porro quod Apoſtoli reliqui *Paſtores extraordinarii et delegati*, *quibus non ſucce-*

cedi-

(x) *Lib. IV. de S. Pontifice Cap. XXV.*
(y) *Seſſ. XXIII. de Sacramento ordinis Cap. IV.*

Digitized by Google

ceditur, minime dici debeant, praeter laudatum Tridentinum ipſe Pontifex Nicolaus I. a nobis adductus reprobat dicens, HAEREDITARIO IVRE Epiſcopos eſſe Apoſtolorum ſucceſſores. Et quidem, quod optime perpendendum, Pontifex aeque de ſe ac de aliis Epiſcopis loquitur: *nobis*, ait Papa, *quos Paſtores et Epiſcopos ac Pontifices ſuper Eccleſiam conſtituit, haereditario iure ſucceſſoribus eorum, eius prouidentiae curam indulſit.*

XIII. Liceat inde nobis ſequens deducere argumentum. Pontifex ſuccedit Apoſtolis in iurisdictione eccleſiaſtica et quidem Petro in ea Poteſtate, quae huic fuit tradita a Chriſto per illa verba: *Tibi dabo Claues regni coelorum etc. Paſce oues, meas etc.* Sed etiam Epiſcopi ſuccedunt in hac poteſtate; nec enim ſoli Petro, huiuſque ſucceſſoribus, ſed et reliquis Apoſtolis, horumque ſucceſſoribus, ſeu potius ipſi Eccleſiae traditas fuiſſe per ea verba claves, docent ſancti Patres, vt Petrus figuram Eccleſiae ſuſtentauerit. „Repetitum eſt ter a Domino, *ait S. Ambroſius*, paſce oues „meas: et quas oues, et quem gregem tunc beatus ſuſcepit Pe„trus? ſed et nobiſcum eas ſuſcepit, et cum eo illas nos ſuſce„pimus omnes.“ (z) Sic loquitur S. Auguſtinus: „Huic enim Ec„cleſiae claues regni coelorum datae ſunt, cum Petro datae ſunt: „et cum ei dicitur, ad omnes dicitur, paſce oues meas.“ (a) Et iterum: „Dominus IESVS diſcipulos ſuos ante paſſionem ſuam ele„git, quos Apoſtolos nominauit. Inter hos pene vbique ſolus Pe„trus totius Eccleſiae meruit geſtare perſonam; propter ipſam per„ſonam, quam totius Eccleſiae ſolus geſtabat, audire meruit: „*Tibi dabo claues regni coelorum.* Has enim claues non homo vnus, „ſed vnitas accepit Eccleſiae... Nam, vt noueritis, Eccleſiam „accepiſſe claues regni coelorum, audite in alio loco, quid Do„minus dicat omnibus Apoſtolis ſuis: *accipite Spiritum ſanctum*, et „continuo: *ſi dimiſeritis peccata, dimittentur eis: ſi cuius tenueritis, te„nebuntur.* Hoc ad claues pertinet.“ (b) Ac denuo: „Nunquid „iſtas claues Petrus accepit, et Paulus non accepit?“ (c) Theophylactus: „Licet ad Petrum tantum dictum ſit illud: *tibi dabo cla„ves etc.* tamen omnibus Apoſtolis olim datum eſt, quando dicit: „quorum remiſeritis etc.“ (d) Nec antilogiam in his deprehendiſſe quis exiſtimet, quando aſſerimus, a Chriſto immediate tradi poteſtatem Eccleſiae, ac ſimul etiam Epiſcopis. Enimuero Eccleſiae

 tra-

(z) *Lib. II. de Dignit. Sacerd. Cap. II.* (a) *Lib. de Agone Chriſt. Cap. XXX.*
(b) *Serm. CVIII. de diuerſis Cap. II.* (c) *Serm. CXLIX. n. 7.*
(d) *In Cap. XVI. Math.*

tradi poteſtatem idem eſt, ac eamdem Epiſcopis tradi; hinc Epiſcoporum generale Concilium dicimus Eccleſiam repraeſentare vniuerſalem, ac illius definitiones Eccleſiae iudicia appellamus, illudque infallibile eſſe, quia Eccleſiae indefectibilitas adpromiſſa eſt; ſicut etiam teſte S. Auguſtino (e) Apoſtoli repraeſentabant totam Eccleſiam. Nimirum, vt loquitur S. Cyprianus, Eccleſia in Epiſcopo eſt. (f)

XIV. Ex his aliisque plurimis momentis, quae adduci poſſent, conſtat, regiminis poteſtatem, quae Petro a Chriſto data fuit, et in illo Romano Pontifici Petri ſucceſſori, reliquis quoque Apoſtolis horumque ſucceſſoribus Epiſcopis a Chriſto datam fuiſſe. Interim id ſobre accipiendum. Nec enim parem omnino auctoritatem Epiſcopis cum Pontifice tribuimus, iſtum certiſſime tenentes et firmiſſime credentes ſupremum Eccleſiae caput, qui ſancto Petro ſuccedit, qui, vt loquitur Iſidorus Hiſpalenſis " honorem Pontificatus „ in Chriſti Eccleſia primus ſuſcepit. Cuius dignitas poteſtatis etſi „ ad omnes catholicorum Epiſcopos eſt transfuſa, ſpecialius tamen „ Romano Antiſtiti, ſingulari quodam priuilegio, velut capiti, ce„ teris membris celſior permanet in aeternum." (g) Suſpicimus in Pontifice quatruplicem auctoritatem, Epiſcopalem, Archiepiſcopalem, Patriarchalem et Primatialem: quas inter Epiſcopalem tantum communem dicimus cum auctoritate omnium Epiſcoporum: quoad Archiepiſcopalem et Patriarchalem non ſuperat alios Metropolitas et Patriarchas. At Primatialis ſoli ipſi competit, quae priuatiue eidem a Chriſto collata fuit. Ad quae autem ſe extendat haec Primatialis poteſtas diuinitus inſtituta, a nobis hic diſcutiendum non eſt, circa id acriter diſceptantibus Theologiae pariter ac iuris eccleſiaſtici peritis. Epiſcopalem, repeto, communem Papae ac reliquis Epiſcopis dicimus auctoritatem. Ita praeter laudatos docet S. Cyprianus, inquiens: „ Epiſcopatus vnus eſt, cuius a ſingulis pars in ſolidum tenetur." (h) Ita docet Origenes: „ Quoniam ii qui Epiſcoporum locum ſibi „ vendicant, vtuntur eo dicto ſicut Petrus, et claues regni coe„ lorum a Seruatore acceperunt." (i) Ita S. Hieronymus: „ Vbi„ cunque fuerit Epiſcopus, ſiue Romae, ſiue Eugubii, ſiue „ Conſtantinopoli, ſiue Regii, ſiue Alexandriae, ſiue Tanis, eius„ dem meriti eiusdem eſt et ſacerdotii." (k) Ita Iſidorus Hiſpalenſis:

(e) *Lib. III. de Baptiſm. Cap. IV. n.* 6. vbi ait: „ Perſonam gerebant (Apoſto„ li) Eccleſiae, et ſic eis hoc dictum eſt, tanquam ipſi Eccleſiae diceretur etc."
(f) *Lib. IV. Epiſt. IX.* (g) *Epiſt. ad Eugen. Tolet. Epiſc. pag.* 697.
(h) *Lib. de Vnitate Eccleſiae relat. Cauſ. XXIV. Quaeſt. I. Can. XVIII.*
(i) *Tract. I. in Math.* (k) *Epiſt. ad Euangel. relat. Diſtinct. XCIII. Can. XXIV.*

ſis : „ Siquidem et ceteri Apoſtolorum Petro par conſortium hono-
„ ris et poteſtatis acceperunt, qui etiam in toto orbe diſperſi Euan-
„ gelium praedicauerunt, quibuſque decedentibus ſucceſſerunt Epi-
„ ſcopi, qui ſunt conſtituti per totum mundum in ſedibus Apo-
„ ſtolorum.“ (l) Ita Carolus M. ordinans, ne Epiſcopis iniuria vel leuis inferatur, rationem ſubnectens: „ Vt omnes cognoſcant no-
„ men, poteſtatem, vigorem et dignitatem ſacerdotalem. Quod
„ ex verbis Domini facile intelligi poteſt, quibus beato Petro, cu-
„ ius vicem Epiſcopi gerunt, ait, *quodcunque ligaueris* etc.“ (m) Ita Hincmarus Remenſis: „ Beatus Petrus Apoſtolus, cuius vice in
„ Eccleſia funguntur Epiſcopi etc.“ (n) Ita Concilium Neocaeſa-rienſe: „ In figura diſcipulorum Domini, duodecim ſcilicet Apo-
„ ſtolorum, qui etiam Spiritus gratiam acceperunt, vt ligarent et
„ ſoluerent, promoti ſunt vniuſcuiusque regionis Epiſcopi.“ (o) Vbi vides, Petrum confundi cum reliquis vndecim Apoſtolis, et ſic acceptis ſucedere Epiſcopos. Ipſimet Romani Pontifices id haud obſcure nobis indicant, qui a temporibus Nicolai I. in abſolutione impartienda, aut ferenda excommunicatione aſſerunt, ſe auctoritate Apoſtolorum Petri et Pauli id agere; cum a Paulo vtpote Epiſcopo Romano, vt eum nominat S. Epiphanius, non niſi Epiſcopalem auctoritatem obtinere poſſint.

XV. Haec porro poteſtas, in qua S. Petro Epiſcopi ſuccedere dicuntur, non eſt poteſtas ordinis tantum, ſed et iurisdictionis, et regiminis eccleſiaſtici; vt enim perſpicimus, loquuntur laudati de poteſtate clauium, de poteſtate ligandi et ſoluendi, per quam exprimi facultatem iurisdictionis, nemo inficiabitur. Et hac in poteſtate Epiſcopos ſuccedere Apoſtolis, docet regula a Catholicis ſtatuta et firmata, aſſerentibus, id non ad ſolos Apoſtolos referendum eſſe, quod ipſis a Chriſto fuit conceſſum in ordine ad conſeruandum bonum Eccleſiae, quo procul dubio tendit iurisdictio Apoſtolis a Chriſto tradita. Ac ideo Theologi pariter et Canoniſtae in id conſpirant vix non vnanimiter, ſuccedere Apoſtolis Epiſcopos, vt, quidquid poteſtatis epiſcopalis, id eſt, Eccleſiae regimen concernentis, habuerunt Apoſtoli, ab his in Epiſcopos tanquam ſuos in Eccleſiae adminiſtratione et regimine ſucceſſores fuiſſe transfuſum. Ea vero, quae Apoſtolis non vt Epiſcopis, ſed vt Apoſtolis fuere propria, neque debito Eccleſiae regimini ſunt neceſſaria, niſi forte ad tempus, in Epiſcopos non tranſiiſſe. Hinc in plenitudine ſcientiae, in dono lin-

(l) *De Offic. Eccleſ. Lib. II. Cap. V.* (m) *Capitul. Lib. V. Cap. CLXIII.*
(n) *Tom. I. pag.* 738. (o) *Can. XIV.*

linguarum et miraculorum, in ſingulari infallibilitate Apoſtolis minime ſuccedunt Epiſcopi, ſed tantum in Eccleſiae gubernatione, vt apud S. Auguſtinum (p) tradit Clarus de Muſcula inquiens: „Manifeſta eſt ſententia Domini noſtri IESV CHRISTI Apoſtolos mittentis, „ et ipſis ſolis poteſtatem a Patre ſibi datam promittentis, quibus „ nos ſuccedimus, eadem poteſtate Eccleſiam Domini gubernantes.“

XVI. Nec ſimilitudinariam a ſe fictam ſucceſſionem probat Bellarminus ex eo, quod Apoſtoli a Chriſto recepiſſe dicantur iurisdictionem in mundum ſeu Eccleſiam vniuerſam, cum Epiſcoporum auctoritas reſtricta ſit ad certam prouinciam ſeu dioeceſin. Enimvero cum Chriſtus vellet ab Apoſtolis Euangelium praedicari omnibus gentibus in toto orbe, nullam partem terrae eis adſignauit: ipſi tamen, afflante Spiritu ſancto, communi et mutuo conſenſu orbis terrae partes diuidebant, vbi ſinguli praedicarent Chriſtianam doctrinam. Si in loco quodam fidem plantaſſent, ibi etiam proprium creabant Epiſcopum, cui nouam Eccleſiam commendabant; imo et alio ſuos mittebant diſcipulos, quo ipſi peruenire non poterant, vt Eccleſias erigerent cum poteſtate alios ordinandi et conſtituendi. Id exhibet nobis exemplum D. Pauli Tito reſcribentis: *Huius rei gratia reliqui te Cretae, vt ea quae deſunt corrigas, et conſtituas per ciuitates Presbyteros, ſicut et ego diſpoſui tibi.* (q) Ex quo diſcimus, Apoſtolorum tempore fuiſſe Epiſcopos, qui non ſecus ac Apoſtoli ipſi per orbem et varias regiones diſcurrentes fundarunt Eccleſias, dum alii particularibus Eccleſiis eſſent adſtricti. Vnde tamen eſſentiale diſcrimen inter eos nullum interceſſit: ſic quoque eadem ex ratione diſcrimen eſſentiale non intercedit Apoſtolos inter et hodiernos Epiſcopos, etſi illi nulli Eccleſiae particulari fuerint adſtricti, ſicut adſtricti ſunt noſtri Epiſcopi. Hanc Eccleſiarum ſeu dioeceſium diuiſionem exigebat pax et vnitas in Eccleſia conſeruanda, cum ex indiuiſo regimine confuſio et perturbatio de facili oriri potuiſſet, et poſſet. Hac de cauſa ab Eccleſia *ſingulis Paſtoribus portio gregis fuit adſcripta, quam regat unuſquiſque et gubernet*, vt loquitur S. Cyprianus. Interim ſi id neceſſitas expoſceret, etiam extra dioeceſin ſuam extendere poſſe ſuam poteſtatem Epiſcopum, negari non poteſt, cum id et a Sanctiſſimis Praeſulibus actum fuiſſe legamus. Vnum ſiſto S. Euſebium Samoſatenum, de quo refert Theodoretus, eum pluribus in locis Epiſcopos, Presbyteros et Diaconos ordinaſſe.

(p) *Lib. VII. de Baptiſm. contra Donatiſtas Cap. XLIII.*
(q) *Epiſt. ad Tit. Cap. I. v. 5.*

Digitized by Google

ſe. (r) Hinc ait laudatus Cyprianus: „ Idcirco copioſum eſt corpus „ ſacerdotum concordiae mutuae glutine atque vnitatis vinculo co„ pulatum, vt ſiquis ex collegio noſtro haereſin facere et gregem „ Chriſti lacerare et vaſtare tentaverit, ſubueniant ceteri, et quaſi „ Paſtores vtiles et miſericordes qui oues Dominicas in gregem col„ ligant,“ (s) Sic conſultus reſpondit Epiſcopo Lugdunenſi Fauſtino et huius collegis, qui ex ipſo quaerebant, an Marcianum Epiſcopum Arelatenſem damnare et excommunicare poſſent, cum is in aliena prouincia nempe in Narbonenſi degeret. Si hodie Apoſtolico feruore ſuccenſus Epiſcopus quidam infidelium terras, ad Apoſtolorum exemplum, Chriſti iugo ſua praedicatione ſubiiceret, nonne in iis ſuam poteſtatem exercere valeret etiam alios ibidem conſtituendo? Profecto, vt ſupra adnotauimus, Africani Canones ordinarunt, vt Epiſcopus ditionem illam in poteſtate haberet, quam legi Chriſti ſua induſtria ſubiugauit.

XVII. Vt paucis cuncta complectar. Chriſtus conſtituens Apoſtolos, qui Eccleſiae regimen tenerent, Epiſcopatum inſtituit, cui poteſtatem ordinis et iuriſdictionis adnexuit; is Epiſcopatus, vt ex ſancto Cypriano diſcimus, vnus omnino eſt, cuius a ſingulis Apoſtolorum ſucceſſoribus, nimirum Epiſcopis, in ſolidum pars tenetur. Porro quae pars iſti aut illi competere debeat, Chriſtus non determinauit, ſed Eccleſiae ſuae reliquit, vt ea ordinet, quae vnitati ſeruandae magis eſſent apta; ſicut ipſi Apoſtoli huius determinationis nobis exemplum praebuerunt, qui interſe terrarum orbem diuiſerunt, et quaſi dioeceſin propriam cuilibet adſignarunt, quam deinde, vtpote ampliſſimam, denuo a ſe conſtitutis diuiſerunt. Sic Iacobus frater Domini conſtitutus fuit Epiſcopus Hieroſolymorum, cui ſucceſſit Simeon: Marcus fundauit Eccleſiam Alexandrinam, quam poſtea gubernabat Anianus: Smyrnae Epiſcopus a S. Ioanne Euangeliſta deſignatus fuit Polycarpus: Eccleſiae Epheſinae Antiſtitem conſtituit Paulus Timotheum:

(r) *Lib. IV. Cap. XII.* ita ſcribit: „ Qui cum multas Eccleſias Paſtoribus carere didiciſſet, militari habitu indutus, et tiara capiti impoſita, Syriam, Phoeniciam, et Palaeſtinam peragrauit, Presbyteros ordinans et Diaconos, alioſque ſufficiens ordines eccleſiaſticos. Quodſi quando doctrina conſentientes Epiſcopos inueniſſet, etiam Pontifices carentibus Eccleſiis praefecit.“ Et *Lib. V. Cap. IV.* „ Magnus Euſebius ab exilio reuerſus Acacium, cuius celebris eſt fama, Beroeae ordinauit Epiſcopum; Hierapoli vero Theodorum. . . Chalcidis porro Euſebium, et Cyri noſtrae Iſidorum. . . . Poſtremo omnium Marim diuinus Euſebius Dolichiae creauit Epiſcopum.“

(s) *Lib. III. Epiſt. XIII.*

theum : Cretenſis Titum : Philippenſis Epaphroditum etc. Vlterius hos tenuiſſe Epiſcopatum diuinitus inſtitutum, eumque illum ipſum, *vnum* ſcilicet, quo fulgebant Apoſtoli, Catholicorum nullus inficiabitur, niſi Nouatoribus cedere voluerit Epiſcoporum ſupremam in Eccleſia aucthoritatem negantibus. Epiſcopalis itaque Apoſtolorum autoritas ac iurisdictio vere tranſiit in ſubſequentes Epiſcopos, etſi portio tantum gregis his fuerit adſignata. Ex Aduerſariis modo quaerere liceat, a quo Epiſcopalis Apoſtolorum auctoritas deriuata immediate fuerit in Simeonem, Anianum, Polycarpum, Timotheum, Titum, Epaphroditum ? Non a S. Petro; cum Paulus et Ioannes ſua auctoritate dictos conſtituiſſe Epiſcopos legantur. Dicent proin cum laudato Starkio, quod ab Apoſtolis Iacobo, Paulo, Ioanne, immediate epiſcopalis illorum poteſtas fluxerit. Hoc ſtatuto, vlterius expeto, a quo immediate deriuata ea poteſtas fuerit in Iuſtum Simeonis, Auilium Aniani etc. Succeſſores ? Denuo non a S. Petro aut huius ſucceſſoribus in Cathedra Romana. Praeterquam enim quod hoc ſine omni ratione pro libitu fingeretur, aſſerto reclamant omnes Catholici contra Nouatores, propugnantes ſupremam Epiſcoporum auctoritatem ex hac in ſedibus Apoſtolorum ſucceſſione eorundem. Qua enim ratione exagitare haereticos laudatus potuiſſet Tertullianus hanc in Eccleſia catholica adlegans ſucceſſionem, eoſque compellans, vt parem *ab aliquo Apoſtolorum* ſucceſſionem exhiberent; ſi aliunde, nempe a Romano Pontifice Epiſcoporum poteſtas pullularet ? Sic nempe arma potius inimicis tradere adverſarii volunt, quam praeoptatam linguere ſtationem. Nobis vero ex dictis omne eximitur dubium, epiſcopalem iurisdictionem a Papa non promanare.

XVIII. Nec nobis ipſis adverſum quid in his deprehendere ſe quiſquam exiſtimet, quando propugnamus immediate a Chriſto deriuatam Epiſcoporum iurisdictionem, et hic adſtruere videmur, eam potius immediate ab Apoſtolis deriuari. Quod enim hic defendimus, illud eſt, Epiſcopum, nemine in terris interueniente tanquam fonte immediato iurisdictionis, hanc tenere; ſed eo ipſo quod in ſede epiſcopali collocetur, omnem cum ordinis tum iurisdictionis poteſtatem obtinere, ſicut obtinebant Anianus, Auilius, aliique in Apoſtolorum ſedibus ſucceſſores. Parum intereſt, an Apoſtoli dicantur immediate dediſſe ſuis ſucceſſoribus iurisdictionem, vel an ſe habuerint illi tanquam electores, vt ad eorum electionem Chriſtus ipſe tribuerit poteſtatem; Apoſtolorum namque diſcipulis tradita poteſtas deriuata fuit ex eodem fonte in horum ſucceſſores, qui fons Pontifex aut Petrus non fuit.

XIX. Demum poſtrema Bellarmini obſeruatio contra veram Epiſcoporum ab Apoſtolis ſucceſſionem vana eſt, quod nonniſi praecedenti ſuccedatur, cum tamen ſimul in Eccleſia Apoſtoli et Epiſcopi fuiſſent. Neque enim de *perſonali* aut *locali*, quae mortem anteceſſoris ſupponit, ſed de *reali* ſucceſſione nobis ſermo eſt; nimirum quod hic perpendimus, in eo verſatur, an epiſcopalis auctoritas et iuriſdictio, quae Apoſtolis conueniebat, etiam Epiſcopis competat? Id quod affirmamus; cui nihil prorſus obſtat dicta animadverſio, quae pro re deſperata in ſubſidium fuit vocata. Peragrabant, vt aduertimus, Apoſtoli plures prouincias, quas in fide erudiebant, nec tamen ſufficientes erant, vt cuilibet Eccleſiae praeſtarent neceſſaria: hinc ſuorum loco alios conſtituebant, quibus eadem cum ipſis competeret poteſtas; licet fors ipſi eidem gregi quandoque invigilarent; per quod conſtitutorum haud fuit imminuta poteſtas; ſicut Petri auctoritas minor haud euaſit in Eccleſia Romana, quod eamdem et Paulus curaret. Succeſſor proprie dictus ille eſt, qui eadem pollet auctoritate in regimine alicuius prouinciae, qua pollebat qui prius eam regebat. At Timotheus v. g. in Epheſina Eccleſia eadem pollebat auctoritate, qua eam Paulus regebat. Sic et Salomon viuenti ſuo parenti Dauidi ſucceſſiſſe memoratur a Sacris Literis in regno Iſraelitico. Firmum igitur et inconcuſſum manet fundamentum in ſucceſſione Epiſcoporum ab Apoſtolis, collocatum.

XX. Stabilita dicta ſucceſſione aliud denuo ex Scriptura nobis praebetur argumentum ex verbis Chriſti Apoſtolos alloquentis: *Sicut miſit me viuens Pater, et ego mitto vos.* (t) Vbi pleniſſimam et ſupremam ipſis conceſſit auctoritatem in Eccleſiam, eamdem nimirum, quam ipſe in Eccleſiam tenet, et iſtud intuitu ſuae ſponſae ſeu Eccleſiae. Et eapropter Apoſtoli hanc ipſam ſupremam poteſtatem tradere aliis quoque potuerunt, et actu tradiderunt, mittentes eos, ſicut ipſi miſſi erant a Chriſto; ſicut Seruator a Patre acceptam Apoſtolis tradidit, hos mittens, ſicut ipſe a Patre fuerat miſſus. Iam Chriſtus non miſit Apoſtolos ad Petrum, vt ab eo poteſtatem acciperent, fatente Bellarmino, ſed quiſque, accepta a Chriſto facultate vſus, per diuerſas prouincias Epiſcopos conſtituit, qui nullam a Petro expeterunt ac obtinuerunt poteſtatem.

XXI. Sententiam noſtram Patrum eſſe doctrinam, cuilibet eorum ſcripta inſpicienti patere debet. Praeterquam enim quod Epiſcopos vocent Apoſtolorum ſucceſſores, vt exhibuimus, illos et ipſius Chriſti vicarios compellant. „ Neque enim, *ait S. Cyprianus*, aliun-

(t) *Ioan. Cap. XX.*

„ aliunde haereſes obortae ſunt, aut nata ſchiſmata, quam inde, „ quod Sacerdoti DEI non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad „ tempus iudex VICE CHRISTI cogitatur.“ (v) S. Gregorius M. de Apoſtolis dicit: „ Principatum ſuperni iudicii ſortiuntur, vt VICE „ DEI quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent. Horum „ profecto nunc in Eccleſia Epiſcopi locum tenent, ligandi atque „ ſoluendi auctoritatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiun„ tur.“ (x) Quare monet S. Ignatius: „ Reuereantur omnes Epi„ ſcopum vt IESVM CHRISTVM exiſtentem filium Patris.“ (y) Et ſanctus Gregorius VII. Clero et populo Carthaginenſi proprium Epiſcopum his verbis commendauit: „ Rixas et contentiones ut vene„ num vitate, humilitatis diſcipuli humilitatem induite: VICEM CHRI„ STI ſuper vos habenti ex debito obedite, conſilia, admonitiones, „ eius vero amore, amplecti inſudate, ſcientes, cum ſibi, Chriſto „ qui pro vobis paſſus eſt, obedieritis: eius vero praedicationes, „ iudicia etiam cum ſuſceperitis, Chriſti per omnia ſuſcipietis... Ali„ ter vero ſi feceritis, in Chriſtum peccatis, Chriſtum ſpernitis, Chri„ ſti diſcipuli eſſe deſinitis, Apoſtolo reſiſtitis, qui ait: *omnis anima* „ *ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit.* Cum ergo mundanis poteſtatibus „ obedire praedicauit Apoſtolus, quanto magis ſpiritualibus et VI„ CEM CHRISTI INTER CHRISTIANOS HABENTIBVS.“ (z) Quemadmodum igitur Pontifex tanquam Chriſti vicarius ſuam immediate a Chriſto tenet poteſtatem; ita quoque Epiſcopi tenebunt. Nec enim Vicarius alicuius Principis aliunde quam ab ipſo Principe poteſtate dotatur.

XXII. Imo mentem ſuam nobis faventem diſertis verbis pandunt ſancti Eccleſiae Doctores. „ Expectemus vniuerſi, *verba ſunt* „ *S. Cypriani*, iudicium Domini noſtri IESV CHRISTI, qui VNVS ET „ SOLVS HABET POTESTATEM ET PRAEPONENDI NOS IN ECCLESIAE „ SVAE GVBERNATIONE, et de actu noſtro iudicandi.“ (a) Et iterum: „ Meminiſſe debent Diaconi, quoniam Apoſtolos, id eſt „ Epiſcopos et Praepoſitos Dominus elegit: Diaconos autem Apo„ ſtoli ſibi conſtituerunt, Epiſcopatus ſui et Eccleſiae Miniſtros. Quod„ ſi nos aliquid audere contra Deum poſſumus, QVI EPISCOPOS FA„ CIT etc. (b) S Baſilius aſſerit, Chriſtum eamdem, quam Petro, reliquis Paſtoribus, Epiſcopis nimirum, tradidiſſe poſteſtatem: „ Hoc „ a Chriſto docemur, *inquit*, dum Petrum Eccleſiae ſuae Paſtorem „ poſt ſe conſtituit. *Petre*, inquit, *amas me plus his, paſce oues meas.* Et

(v) *Epiſt. LV.* (x) *Homil. XXVI.* (y) *Epiſt. ad Trall.*
(z) *Epiſt. XXII.* (a) *In Concilio Carthaginenſi.* (b) *Lib. III. Epiſt. IX.*

Digitized by Google

„ Et omnibus deinceps Paſtoribus ac Magiſtris eamdem tribuit po-
„ teſtatem, cuius quidem rei ſignum eſt, quod omnes ſimiliter at-
„ que ille ligent et ſoluant.“ (c) Ita S. Paulinus ſupra laudatus Rhotomagenſem Epiſcopum a DEO in cathedra Epiſcopali conſtitutum aiebat. (d) Sed quid diutius moror in congerendis ſingulorum Patrum teſtimoniis, cum „ vnanimis Conciliorum, Patrum, Scripto-
„ rumque omnium eccleſiaſticorum antiquiſſima eo conſpiraret,
„ vt Epiſcopi cenſerentur diuina quadam origine et inſtitutione ni-
„ ti, vt Chriſti ipſius vices agerent in ſua quiſque dioeceſi,“ vt teſtatur Thomaſſinus. (e)

XXIII. Aſſerunt Aduerſarii cum Bellarmino, Barboſa etc. inſtitutionem Epiſcoporum a Chriſto quidem proficiſci, ſed ita, quod iurisdictio a Romano Pontifice tanquam Chriſti vicario et ſummo primoque totius Eccleſiae Paſtore ſuſcepta, ab eodem veluti e fonte, ex Chriſti mandato, in illos deriuetur. Seu quod epiſcopalis dignitas eiuſque iurisdictio, vt ordinaria et ex officio conſiderata, ſaltem *in generali* ſit inſtituta a Chriſto Domino ad effectum, vt Petrus et eius ſucceſſores Eccleſiam per Epiſcopos gubernarent; attamen ſi epiſcopalis iurisdictio, ſicut etiam ipſum munus epiſcopale ſumatur *in particulari*, prout ſcilicet in hoc vel illo ſubiecto reſpectu horum vel illorum ſubditorum collocatur, quod, inquam, non ſit de iure diuino, nec ex eo certos habeat iurisdictionis gradus, qui augeri vel minui nequeant, ſed totum pendeat a ſummo Pontifice, per quem idem munus immediate habeatur in particulari, et a quo iurisdictio immediate concedatur et deriuetur. Haec fere ſunt verba Barboſae. (f)

XXIV. Verum quam libere hoc aſſertum ab Aduerſariis confingitur, tam facile confutatur. Et quidem hanc interpretationem aperte excludit S. Cyprianus cum Epiſcopis in Concilio Carthaginenſi, inquiens, quod *vnus et ſolus Chriſtus poteſtatem habeat praeponendi Epiſcopos in gubernatione Eccleſiae;* id quod dicta reſponſio inficiatur, hanc ſoli Chriſto a S. Cypriano attributam poteſtatem tribuens Pontifici. Praeterea ſi teneret aduerſum reſponſum, qua ratione Epiſcopi a Chriſto conſtituti dici poſſent ſecus ac Diaconi? Catholicis loquor, qui diuinitus inſtitutos tres ordines Epiſcopatum, Presbyteratum et Diaconatum propugnant. Sunt itaque Diaconi *in generali* inſtitutionis diuinae, et tamen S. Doctor ait, quod Diaconi non ſint ita a

(c) *Conſtit. Monaſt. II. Cap. XXII.* (d) *Epiſt. cit. ad Victricium.*
(e) *Part. I. Lib. I. Cap. L. Diſcipl. V. et N. Eccleſiae.*
(f) *De Offic. et poteſt. Epiſc. Tit. I. Cap. I.*

Digitized by Google

Chriſto conſtituti, ſicut Epiſcopi. Quid reliquum eſt, niſi vt dicamus, ad mentem S. Patris Epiſcopos immediate et *in particulari* a Chriſto recipere poteſtatem, Diaconos autem tantum in generali? Aut ediſſerant, qualiter catholicam propugnare velint ac poſſint doctrinam, alia admiſſa S. Cypriani interpretatione? Demum haec reſponſio corruit ex ſupra dictis, quibus ex Patribus demonſtrauimus, *in epiſcopali auctoritate* non minus reliquos Epiſcopos, quam Romanum Pontificem, ſuccedere Apoſtolis, ipſique S. Petro.

XXV. Firmatur ſententia noſtra quam maxime ipſorum Romanorum Pontificum effatis, quorum nullus vnquam (ſi ſequiora fors tempora excipias) aſſeuerauit, a ſe proficiſci Epiſcoporum iurisdictionem, quin potius in ſuis datis ad Epiſcopos literis ſemper profitentur, quod iſti *Deo auctore, per Dei gratiam, diuina fauente gratia etc.* ſuis praeſideant Eccleſiis, quod Eccleſiarum ſuarum cura a DEO ipſis commiſſa ſit etc. Longum nimis foret, ſi ſingulorum verba adducere vellem. Ita loquuntur Zacharias (g) Nicolaus I. (h) Leo IX. (i) Gregorius VII (k) Vrbanus II. (l) Paſchalis II. (m) Calliſtus II. (n) Honorius II. (o) Innocentius II. (p) Lucius II. (q) Eugenius III. (r) Anaſtaſius IV. (s) Hadrianus IV. (t) Alexander III. (v) Lucius III. (x) Vrbanus III. (y) plureſque alii. Imo fatentur Pontifices, ſe aeque ac alios Epiſcopos a DEO conſtitutos eſſe ad regendam Eccleſiam. Ita laudatus ſupra Nicolaus I. aiebat, Chriſtum Apoſtolis Eccleſiam ſuam commendaſſe, ac per eos ſibi ac reliquis Epiſcopis tanquam haereditario iure ſucceſſoribus. Theodorus Pa-

pa

(g) *Epiſt. I. ad Bonifacium Archiepiſc. Cap. VII.* (h) *Epiſt. ad Odonem Bellouacenſem.*
(i) *Epiſt. IV. ad Ioannem Archiepiſcopum et Eccleſiam Salernitanam.*
(k) *Lib. I. Epiſt. III. ad Guibertum Rauennatenſem Archiepiſcopum.*
(l) *In priuilegio, quod Landrico Epiſcopo Matiſconenſi conceſſit an. MXCVI.*
(m) *Epiſt. ad Conſtantium Rauellenſem Epiſcopum.*
(n) *Epiſt. ad Nicolaum Monopolitanum Epiſcopum.*
(o) *In priuilegio, quod dedit Burcardo Epiſcopo Meldenſi.*
(p) *In priuilegio conceſſo Raimundo Epiſcopo Toloſano, item Guillielmo Epiſcopo Bellicenſi, in Epiſt. ad Ioannem Epiſcopum Feſulanum, ad Attonem Epiſcopum Piſtorienſem, ad Litifredum Epiſcop. Nauarienſem etc.*
(q) *Epiſt. ad Rainerium Epiſcopum Ariminenſem.*
(r) *Epiſt. ad Rodulphum Epiſcopum Imolenſem, ad Gottifredum Epiſcopum Lucenſem, ad Anſelmum Aſtenſem etc.*
(s) *Epiſt. ad Dodonem Epiſcopum Reatum etc.*
(t) *Epiſt. ad Henricum Epiſcopum Gradenſem* item *ad Ioannem Oliuolenſem.*
(v) *Epiſt. LII. ad Philippum Archiepiſcopum Colonienſem.*
(x) *Epiſt. ad Petrum Signinum Epiſcopum, et ad Gerardum Bellunenſem.*
(y) *In priuilegio conceſſo Ademaro Petragoricenſi Epiſcopo Tomo III. Gall. Chriſt.*

Digitized by Google

pa diuinam ſicut ſui, ita et aliorum Epiſcoporum aequalem inſtitutionem his deſignat verbis: „ Nos ergo, *inquit*, quid niſi diſpenſatores „ vnius Paſtoris ſumus? ipſo enim paſcente paſcimus, et regente „ regimus, quoniam ſub eodem Paſtore cum ouibus ſuis oues paſcuae ſumus.“ (z) Et Gregorius VIII. ſe vnum ex Epiſcoporum numero vocat. „ Quoniam, *ſunt eius verba*, ad Epiſcoporum maxime ſpectat officium, afflictis et loborantibus ſubuenire, vnumque illorum licet deficientibus meritis me eſſe voluit, proſpicere „ tenemur etc.“ (a) Si ſe ſolum a Chriſto immediate inſtitutum agnouiſſet Papa, et alios omnes Epiſcopos ab ipſo auctoritatem ſuam obtinere iudicaſſet, an ſe vnum ex et cum illis dixiſſet? Nemo profecto Principum ſe vnum ex ſuis Miniſtris, aut a ſe conſtitutis in republica iudicibus compellat. Et hac de cauſa Epiſcopi a Romanis Pontificibus *Fratres* appellantur. Vnde vero fraternitas deſumitur, niſi per originem dignitatis et officii? ſit Papa natu maximus, ſint Epiſcopi quaſi natu minimi; quoad originem tamen vnus frater non eſt altero maior et minor. Imo non tantum *fratres*, ſed et *collegas* Epiſcoporum in regimine Eccleſiae ſeſe vocitabant Romani Pontifices primorum temporum, et pariter tales ab Epiſcopis compellabantur, vt patet ex literis S. Cypriani. Et a Collega in Collegam auctoritatem deriuari quis dicere audeat, niſi omnem verborum ſenſum elidere voluerit?

XXVI. Noui, quosdam Epiſcopos ſe ipſos Papae filios nominaſſe; vti Theotmarus ſeu Dietmarus Archiepiſcopus Salisburgenſis ac alii Bauariae Epiſcopi, data ex Metropoli Salisburgenſi ad Ioannem IX. litera, ſe ipſos inſcripſerunt *humillimos Paternitatis veſtrae filios*. At, vt fieri in literis frequentius aſſolet, ſuperauit ciuilis dictorum Praeſulum mens rigorem iuſtitiae. Interim nullum antehac exemplum huius nobis exhiberi poterit; neque ſequaces ſaltem plures hac in parte illi habuere, aut habent Epiſcopos, vel ipſo recepto curiae Romanae ſtylo id nobis manifeſtante.

XXVII. Prodigi haud ita erant Romani Pontifices ſuae auctoritatis, quin potius pro ea tanquam pro aris et focis decertauerint. Nec immerito; cum Eccleſiae bonum firmetur hac in auctoritate inconcuſſa. Vnde haeretici ad vnum fere omnes eamdem impetere tentauerunt, optime ſcientes, firma conſiſtere haud poſſe falſa eorum dogmata, vbi firma perſtiterit Pontificia auctoritas, qua ſolis inſtar errorum tenebrae nunquam non fuerunt depulſae. Laudamus

(z) *In Synodica ad Paulum Samoſatenum.*
(a) *Epiſt. III. ad omnes Galliarum Praelatos.*

proin ſanctum Pontificum ſtudium, quo ſupremam ſuam in terris dignitatem et auctoritatem, Eccleſiae bono ita neceſſariam, defendebant. Sed et hoc ipſum ſtudium nos ad perſuadendum nobis cogit, eam auctoritutem tantam haud eſſe, vt ex ea tanquam vnico fonte ſummorum Eccleſiae Procerum, Epiſcoporum nimirum, profluat auctoritas; vtpote quam nullus vnquam Pontifex cuidam obtrudebat, vt contrarium potius ex propriis verbis colligimus. Aut ſiſtant nobis quemquam Pontificum, niſi forte per et poſt falſas Iſidori merces, Decretales intelligo, deceptum, qui nobis diſſentiat. Sed et vlterius prouocare audemus Aduerſarios, vt nobis exhibeant ſanctorum Patrem aliquem, qui nouitiae in Eccleſia eorum doctrinae adſtipuletur. Liberius a Lainio dictum aut potius fictum eſt, negari haud poſſe, affirmari a multis ſanctis Doctoribus, poteſtatem Epiſcoporum immediate a Pontifice deriuari. Sed qui ſunt iſti multi ſancti Doctores? citat quidem SS. Bonauenturam et Thomam cum Durando, quibus adiungit ſanctiſſimos Eccleſiae Doctores ſummosque Pontifices Leonem I. et Gregorium M. Verum hos in alieno a Patrum ſenſu a Lainio accipi, demonſtratum eo.

XXVIII. Leonem ex ſua parte ſtare is exiſtimat, quando aſſerit: „ Siquid commune cum eo (*Petro*) aliis voluit eſſe Principibus, „ nunquam niſi per ipſum dedit, quiquid aliis non negauit.“ (b) Et iterum: „ Huius muneris ſacramentum ita Dominus ad omnium „ Apoſtolorum officium voluit pertinere, vt in beatiſſimo Petro, „ Apoſtolorum omnium ſummo, principaliter collocaret, vt ab eo „ ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffun- „ deret.“ (c) At ſi iſta debite perpenduntur, non tantum non favent Lainio, ſed potius doctrinam illius diſſipant. Sanctus Doctor vtroque in loco conglutinatum exhibet miro foedere Principatum ſummi Pontificis tanquam capitis a Chriſto conſtituti in vniuerſa Eccleſia cum Principatu Epiſcoporum, qui et ipſi ab eodem conſtituti ſunt capita ſuorum gregum, quibus ex omnibus ſibi mutuo connexis indiuulſa quadam caritate et concordia exiſtat caput vnum et *vnus Epiſcopatus;* vt omnes Eccleſiae epiſcopales cum Eccleſia Romana vnum catholicae Eccleſiae corpus coagmentent, conſtituto vnitatis centro Eccleſia Romana. Nihil prorſus memorat, ab hac Romana Eccleſia, ſeu a Pontifice fluere in Epiſcopos alios iurisdictionem, ſed econtra indicat, ab ipſo Chriſto in eosdem epiſcopalem auctoritatem dimanare.

XXIX. Vt omne dubium reſecetur circa S. Doctoris mentem,

(b) *Serm. III. de aſſumtione ſua ad Pontificatum.* (c) *Epiſt. LXXXIX.*

Digitized by Google

tem, audiamus non truncata eius verba, ſed integras ſententias. Recitatis namque dictis verba Chriſti adiungit, quibus hic, facta a Petro confeſſione eiusdem diuinitatis, ſoluendi et ligandi poteſtatem eidem conceſſit, poſtea addit, et quaſi expoſitionem prius dictorum tradit inquiens: „ Tranſiuit quidem et in alios Apoſtolos vis „ poteſtatis iſtius, et ad omnes Eccleſiae Principes decreti huius „ conſtitutio commeauit, ſed non fruſtra vni commendatur, quod „ omnibus intimatur. Petro enim hoc ſingulariter creditur, quia „ cunctis Eccleſiae Rectoribus Petri forma praeponitur." Si omnibus idem intimauit, quod Petro commendauit. Si Petrus *forma* tantum reliquorum praeponitur, his pariter a Chriſto auctoritas accedit, vt verba perpendenti conſtare debet. Si Chriſtus nonniſi per Petrum aliis Apoſtolis auctoritatem dediſſe dicitur, id eo ſenſu accipere debemus, quod in perſona Petri omnes alii Apoſtoli et Epiſcopi fuerint repraeſentati. „ Vnus pro omnibus dicit, *verba ſunt* „ *S. Auguſtini*, tu es filius DEI viui, et propter hoc claues cum omni- „ bus, tanquam perſonam gerens Eccleſiae, accepit; ideo vnus pro „ omnibus, quia vnitas in omnibus." (d) Et S. Hieronymus ita fatur: „ At dicis: ſuper Petrum fundatur Eccleſia, licet idipſum „ alio in loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, et cuncti claues regni „ coelorum accipiant, et ex aequo ſuper illos fortitudo Eccleſiae „ ſolidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capi- „ te conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio." (e) Huc confer ea, quae ſupra ex Patribus retulimus aſſerentibus, ipſi S. Petro Epiſcopos ſuccedere in regimine eccleſiaſtico. Quae certo demonſtrant, Patrum fuiſſe ſententiam, immediate a Chriſto claues cunctis Apoſtolis horumque ſucceſſoribus conceſſas fuiſſe et concedi, vt tamen Petro, tanquam Principi, Capiti, ac centro vnitatis, vltra hanc epiſcopalem poteſtatem etiam primatialem, nulli alteri communicandam, Saluator contulerit. Aliam qui Patrum excogitaverit explanationem, vereatur, ne haereticis ſe fautorem oſtendat, et pontificii Primatus dignitatem eorum ſibilo exponat, aequalem arguentium in Epiſcopis cum Pontifice auctoritatem; cum *ex aequo* ſuper reliquos Apoſtolos ac ſuper Petrum Eccleſiae fortitudo ſolidata a Patribus dicatur. Quae enim alia *aequalitas*, ſtatuto Primatu Pontificis, aſſeuerari poterit, niſi deducta ex origine eiusdem poteſtatis epiſcopalis?

XXX. Declaramus vlterius Leonis mentem, eundemque cum reliquis Patribus in noſtram conſpirare ſententiam, exhibemus, nimirum Pe-

(d) *Tract. CVIII. in Ioan.* (e) *Lib. I. aduerſus Iouinian.*

Digitized by Google

Petrum et Romanum Pontificem ſuprema in Eccleſia fulgere maieſtate, caputque eſſe omnium Epiſcoporum, horum tamen et auctoritatem eſſe inſtitutionis diuinae, vt ab ipſo Chriſto autoritas dimanet in eosdem. „Connexio totius corporis, *ait*, vnam ſanitatem, vnam pulchritudinem facit. Et haec quidem connexio totius corporis vnanimitatem requirit, ſed praecipue exigit concordiam ſacerdotum, quibus etſi dignitas non ſit communis, eſt tamen ordo generalis. Quoniam et inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quaedam diſcretio poteſtatis; et cum omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt ceteris praeemineret. De qua forma, Epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio, et magna diſpoſitione prouiſum eſt, ne omnes omnia ſibi vindicarent; ſed eſſent in ſingulis prouinciis ſinguli, quorum inter fratres prima haberetur ſententia; et rurſus quidam in maioribus vrbibus conſtituti ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem; per quos ad vnam Petri ſedem vniuerſalis Eccleſiae cura conflueret, et nihil vſquam a ſuo capite diſſideret." (f) Nihil hic deſideratur, quod fauet Primatui Petri, et diuinae Epiſcoporum inſtitutioni. Epiſcopos ſuccedere Apoſtolis ſanctus Pontifex indicat; eſt autem fere communis, paucos ſi excipiamus, qui maximam vim ſacro textui inferunt, Apoſtolorum poteſtatem immediate a Chriſto dimanaſſe. Aſſerit vlterius, collegium et Epiſcoporum ordinem vnum eſſe, et differentiam vnicam inter eos aſſignat, quod vnius auctoritas latius quam alterius pateat. *In ſimilitudine honoris fuit diſcretio poteſtatis; et cum omnium par eſſet electio, vni datum, vt ceteris praeemineret.* Quomodo autem ceteris praeeminet? non per deriuationem poteſtatis a ſe in reliquos factam; cum Petrus a Chriſto reliquis Apoſtolis praelatus iſtis auctoritatem ac delegationem non tradiderit, ſed omnes a Saluatore immediate eam receperint. Et de hac forma, in Apoſtolis data, orta eſt diſcretio Epiſcoporum, vt ad mentem et verba expreſſa ſancti Leonis illi ſe habeant ad Pontificem, ſicut reliqui Apoſtoli ſe habuerunt ad Petrum. Conſequenter Epiſcopi a Papa non obtinent iurisdictionem, ſicut a Petro eam non receperunt Apoſtoli.

XXXI. His rite perpenſis apparet, quod ea, quae Bellarminus cum Lainio ſecundo loco obiicit ex S. Leone, minime nobis obſtent. Enimuero ſi Chriſtus in Petro tantum *principaliter* collocauit, quod

---

(f) *Epiſt. LXXXIV.*

quod ad omnium Apoſtolorum officium voluit pertinere, idipſum etiam in his, ſed *minus principaliter*, collocauit. Neque verba ſequentia contrarium euincunt: *vt ab eo* (Petro) *quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet.* Nam a Petro, vt dicta repetam, in reliquos Apoſtolos tanquam a capite dona non fuere diffuſa, vt ab illo iſti ſuam acciperent poteſtatem, fatente, vt diximus, Bellarmino, Scripturae auctoritate quoad hoc penitus conuicto. Quomodo ergo a Petro tanquam capite in corpus omne diffunduntur dona? Ipſe S. Pontifex declarat ſubdens: *Vt exortem ſe myſterii intelligeret eſſe diuini, qui auſus fuiſſet a Petri ſoliditate recedere*; ſeu, quod idem eſt, ab Eccleſiae Romanae communione et fide recedere. Verba haec vnice eo tendunt, vt centrum vnitatis laudatam Eccleſiam Romanam demonſtrent, quam vnitatem per totam fere epiſtolam depraedicat et commendat, ſicut et dignitatem ſuam primatialem; vt in nullo Patrum Scripto tam copioſa reperiamus ſupremae Pontificis auctoritati faventia. Quod quidem nobis indicio eſt, nihil ibi Leonem omiſiſſe eorum, quae hanc ſuam commendarent ſupremam auctoritatem. Si autem reliquis Epiſcopis ſe communicare poteſtatem iudicaſſet, id certo non diſſimulaſſet, praeſertim cum Hilarii Epiſcopi, aliarum Eccleſiarum iura inuadentis, peruicaciam retundere vellet. Sed fatetur, ſe vi ſuae primatialis auctoritatis adſtringi ſolum, vt *diuinitus* datam Epiſcopis dignitatem conſeruare adlaboraret. *Sollicitudo noſtra*, inquit, *non ſua quaerens, ſed quae Ieſu Chriſti, dignitatem diuinitus datam nec Eccleſiis nec Eccleſiarum ſacerdotibus abrogabat.* Senſus igitur verborum nobis obiectorum alius eſſe nequit, quam quod claues ab omnibus adminiſtrandae aliter non ſint, quam indiuulſa caritate et conſenſione cum capite, in quo comprehenſi et compliciti omnes erant, quando Chriſtus Petrum tam ſtupenda auctoritate cumulauit. *Ad Petrum locutus eſt Dominus*, verba ſunt Paciani, *ad vnum, vt vnitatem fundaret in vno. Mox idipſum in commune praecipiens etc.* (g)

XXXII. Inſpecta S. Leonis mente, S. Gregorii doctrinam excipiamus E re ſua eſſe pauca, quae reperit Lainius, magni et ſanctiſſimi huius Pontificis iudicat verba ita ſcribentis: „ Quanto „ Apoſtolica ſedes, DEO auctore, cunctis praelata conſtet Eccleſiis, „ tanto inter multiplices curas et illa nos valde ſollicitat, vbi ad „ conſecrandum Antiſtitem noſtrum exſpectatur arbitrium.“ (h) Pace viri dixerim; male concluditur: ad conſecrandum Epiſcopum

G no-

(g) *Epiſt. III.*
(h) *Lib. II. Indict. II. Epiſt. XXX. ſeu Cap. LXIX.* recit. *C. Quanto, Diſtinct. LXIII.*

Digitized by Google

noſtrum exſpectatur iudicium : ergo a nobis proficiſcitur Epiſcopi auctoritas. Ita enim ſi argumentari liceret, dicam, Epiſcoporum poteſtatem non ſolum a Papa, ſed et Metropolita, Epiſcopis comprouincialibus, imo et inferioribus Clericis, ipſisque adeo Laicis, Principe et plebe dimanaſſe; cum certum ſit ex hiſtoriis, horum omnium arbitrium olim expetitum fuiſſe ad conſecrandum Epiſcopum. Concilium Toletanum IV. formulam tradidit examinis fidei et morum, cui conſecrandus Epiſcopus ſubiiciebatur, et ſubiungit: „ Cum in his omnibus examinatus, inuentus fuerit plene inſtitutus, „ tunc cum conſenſu Clericorum et Laicorum, et conuentu totius „ prouinciae Epiſcoporum, maximeque Metropolitani vel praeſen„ tia vel auctoritate ordinetur Epiſcopus.“ (i) Imo Leo IV. Lothario et Ludouico Auguſtis ſupplicauit, vt Epiſcopatum conferrent Colono: „ Reatina Eccleſia, *inquit*, quae per temporum ſpa„ tia paſtoralibus curis deſtituta conſiſtit, dignum eſt, vt brachio „ Amplitudinis veſtrae ſubleuetur, ac gubernationis regimine pro„ tegatur. Vnde ſalutationis alloquio praemiſſo, veſtram Manſue„ tudinem deprecamur, quatenus Colono humili Diacono eamdem „ Eccleſiam ad regendum concedere dignemini : vt veſtra licentia „ accepta, ibidem eum, DEO adiuuante, conſecrare valeamus Epiſco„ pum. Sin autem in praedicta Eccleſia nolueritis vt praeficiatur „ Epiſcopus, Tuſculanam Eccleſiam, quae viduata exiſtit, illi ve„ ſtra Serenitas dignetur concedere“ (k) Plus auctoritatis a Lainio recitata verba Gregorii in ſe conſiderata non inferunt, quam hiſce Pontifex Leo tribuit Principibus. Cum igitur poſteriora non faueant Principibus, ac ſi ab eis Epiſcoporum auctoritas dimanaret; nec priora fauent Pontificibus in praeſenti controuerſia. Sed quid diutius moramur debili repellendo telo, cum hiſtoria eccleſiaſtica nos inſtruat, per quinque priora ſecula *ſummam* fuiſſe Epiſcoporum auctoritatem in horum electionibus, et Metropolitanorum in confirmatione comprouincialium, vt pluribus id demonſtrat Thomaſſinus. (l) Si poſtea Pontificis arbitrium fuit expetitum, id minime fiebat eo fine, vt electus Epiſcopus ab illo iurisdictionem obtineret; alias omni aeuo expoſtulandum et exſpectandum arbitrium illud fuiſſet. Ob diſſenſiones quasdam, aliasque ſimiles cauſas, Pontificis tanquam Primatis, ac auctoritate in totam Eccleſiam pollentis, exquirebatur arbitrium, eique libere committebatur Epiſcopi electio, vt ipſe tradit S. Gregorius ita reſcribens ciuitati Syracu-

ſa-

(i) *Can. I.* (k) *Can. XVI. Diſtinct. LXIII. cit.*
(l) *Diſcipl. Vet. et Nou. Eccleſ. Part. II. Cap. IV. et ſeqq.*

Digitized by Google

ſanae, cuius Epiſcopus Maximianus vbi vita exceſſerat, ſupplicanti pro electione noui Epiſcopi: „ Quam direxiſtis, epiſtola, electionis „ vos onera ſapienter declinaſſe, ſignificat. Et quoniam noſtro hoc „ arbitrio commiſiſtis etc. (m)

XXXIII. Ex his manifeſtum eſt, inaniter pro ſe allegaſſe Lainium citata Gregorii verba, quae ſtudioſ tacuiſſe Bellarminum, iudico; cum ipſi conſtare debuerit, oppoſitam ſibi ſententiam magnum hunc Pontificem docuiſſe. Docet ſanctus Doctor, eodem modo Epiſcopos ſuis praeſidere Eccleſiis, quo ipſe Romanae Eccleſiae praeſideret. Sicut enim de ſe ait: *In ſancta Romana Eccleſia, cui diuina diſpenſatio praeeſſe me voluit etc.* (n) Sic pariter Clero Mediolanenſis Eccleſiae hortator fuit: *Conſecrato vobis*, DEO AVCTORE, *Paſtori tota vos mente committite, atque in illo omnipotenti Domino*, QVI VOBIS HVNC PRAETVLIT, *deſeruite.* (o) Hac ex ratione recuſauit nomen *vniuerſalis Epiſcopi*, eo nimirum ſenſu acceptum, quaſi is vnus eſſet Epiſcopus, a quo ceteri ſuam mutuarentur poteſtatem, vt bene notat Collet.(p) Audiamus modeſtiſſimum Pontificem: „ Indicare quoque, *ait*, ve„ ſtra Beatitudo ſtuduit, iam ſe quibusdam non ſcribere ſuperba „ vocabula, quae ex vanitatis radice prodierunt, et mihi loquitur „ dicens: *ſicut iuſſiſtis.* Quod verbum iuſſionis peto a meo audi„ tu remouete; quia ſcio quis ſum, qui eſtis. Loco enim mihi *fra„ tres* eſtis, moribus patres. Non ergo iuſſi, ſed quae vtilia ſunt, „ indicare curaui... Ecce in praefatione epiſtolae, quam ad me ipſum „ qui prohibui, direxiſtis, ſuperbae appellationis verbum *vniuerſa„ lem me Papam* dicentes imprimere curaſtis. Quod, peto, dulciſ„ ſima mihi Sanctitas veſtra vltra non faciat, quia vobis ſubtrahi„ tur, quod alteri plus quam ratio exigit, praebetur. Ego enim „ non verbis quaero proſperari, ſed moribus. Nec honorem eſſe „ deputo, in quo fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco: „ Meus namque honor eſt vniuerſalis Eccleſia. Meus honor eſt fra„ trum meorum ſolidus vigor. Tunc ergo vere honoratus ſum, „ cum ſingulis quibuſque honor debitus non negatur. Si enim vniuer„ ſalem me Papam veſtra Sanctitas dicit, negat ſe hoc eſſe, quod me fa„ tetur vniuerſum etc. (q) An Princeps vetat, ne a ſe delegati in prouincia Vicarii iudices eumdem *iubentem* in literis nominent? an eos *fratres* dignitate ſeu *loco* apellat? Reſpuebat ſanctus Pontifex vocem

 iuſſi-

(m) *Lib. IV. Epiſt. XLVII.* (n) *Lib. cit. Epiſt. XLIV.*
(o) *Lib. II. Indict. XI. Epiſt. XXVIII.*
(p) *Tract. de Eccleſ. Quaeſt. V. Art. II. Obiect. II.*
(q) *Lib. VIII. Indict. I. nou. edit. Epiſt. ad Eulogium Alexandr.*

Digitized by Google

iuſſiſtis in literis ab Epiſcopis eidem datam, quod illi moribus eſſent patres, *loco autem fratres*, nimirum quoad auctoritatem epiſcopalem pares, ita vt etiam vi primatialis dignitatis eosdem, ſi debite ſuo munere funguntur, turbare nullo modo poſſit: „ Siqua culpa in Epi-„ ſcopis inuenitur, *inquit*, neſcio quis ei (*Sedi Apoſtolicae*) Epiſco-„ pus ſubiectus non ſit. Cum vero culpa non exigit, omnes ſe-„ cundum rationem humilitatis aequales ſumus.“ (r) Porro ideo nomen *vniuerſalis Epiſcopi* abiecit, quod ſic reliquis Epiſcopis debitum decederet. Quae deceſſio aliter concipi nequit, quam ſi ſolus Papa Epiſcopatum ita poſſideret, vt alii *Vicariam* ſolum ab vno communicatam poteſtatem haberent, vt tamen vult aduerſa ſententia; neque enim a Sapientiſſimo Pontifice tam crude intelligi potuit ab Epiſcopis ſibi attributum nomen *vniuerſalis Papae*, quaſi ipſi nullam nequidem communicatam ab Apoſtolica Sede poteſtatem tenerent, ſi ipſe hoc titulo ab illis honoraretur. Hinc eruditi Benedictini, editores operum S. Gregorii, hunc in locum commentantur, nomen *vniuerſa-ſalis Papae* ab illo reiectum fuiſſe, quia „ Scriptura docet, Spiritum „ S. non vnum, ſed plures Epiſcopos poſuiſſe regere Eccleſiam DEI, „ ita, vt etſi vnus eſſet grex Chriſti, plures tamen paſtores gregis „ ſint, qui ſinguli vnam huius gregis portionem paſcendam et re-„ gendam ſuſceperunt.“ (s) Alia vix explicatio Gregorii dari poterit: aut ſiqua praeterea fingitur, antecedentia ſufficienter declarant S. Pontificis mentem.

XXXIV. Gregorium, vt diximus, in ſuas trahere partes non audet Bellarminus, ſed Inocentium I. in ſubſidium vocat aſſerentem: *A Petro ipſe Epiſcopatus, et tota auctoritas nominis huius emerſit.* (t) Et iterum: *Arbitror omnes fratres et coepiſcopos noſtros nonniſi ad Petrum, id eſt ſui nominis et honoris auctorem deferre debere.* (v) Sed nonne aduertit doctiſſimus Cardinalis, ſe ſibi ipſi contradicentia hic inferre? ſi a Petro ita Epiſcopatus et auctoritas tota nominis emerſit, vt ab illo ſolo deriuetur in reliquos, Apoſtoli ſuam auctoritatem et Epiſcopatum non habuiſſent immediate a Chriſto, quod ipſus inficiatur. Praeterea ſequeretur, non poteſtatem *iurisdictionis* tantum, ſed et *ordinis* a Petro ſeu Pontifice deriuari, cum *tota auctoritas nominis et Epiſcopatus* a Petro emerſiſſe dicatur; illud autem denuo negat Bellarminus. Pontifex itaque iis verbis ſignificavit, Petrum et primum Apoſtolum, pri-

(r) *Lib. IX. Epiſt. LIV. ad Ioann. Syracuſ.* (s) *Tom. IV. pag.* 248.
(t) *Epiſt. ad Carthaginenſe Concil. quae eſt XCI. inter epiſtolas Auguſtini.*
(v) *Epiſt. ad Concil. Mileuit. inter epiſtolas S. Auguſtini XCIII.*

Digitized by Google

primumque Epiſcopum, caput et apicem Epiſcopatus fuiſſe conſtitutum, quando ei Chriſtus dixit: *Paſce oues meas etc.* Sed ſicut vnus erat Apoſtolatus, ſic et vnus eſt Epiſcopatus, cuius pars a ſingulis in ſolidum tenetur, ad traditam a S. Cypriano aliiſque Patribus doctrinam.

XXXV. Datam Innocentianorum verborum expoſitionem, noſtramque ſententiam ſuprema ſua auctoritate firmiſſime ſtabilit ſeculi noſtri immortale decus, ſanctiſſimus pariter et ſapientiſſimus vniverſalis Eccleſiae Gubernator, e viuis nobis nuper ereptus, Clemens XIII. Is zeloſiſſimi paſtoris voce omnes alloquitur Epiſcopos (x) „Vos obteſtamur, Venerabiles Fratres, et obſecramus, vt ſiquae „ſcandala et diſſenſiones oriantur, quibus ſedandis impares ſitis, „ad hanc beatiſſimi Apoſtolorum Principis Sedem, tanquam ad caput et Epiſcopatus apicem referatis, vnde ipſe Epiſcopatus et tota auctoritas nominis huius emerſit.“ Quid igitur? An verba haec ſapientiſſimus Pontifex eo quo Bellarminus ſenſu ſumſit? Minime. Audiamus profitentem, ſe aeque ad gubernandam Eccleſiam, vt alios Epiſcopos, a DEO conſtitutum eſſe, ſe pariter illoſque exhortantem: „Cum „Apoſtolis, *inquit*, interdictus ſit a CHRISTO IESV dominatus, non ad „Eccleſiae principatum, ſed ad Eccleſiae ſeruitutem nos veniſſe „exiſtimemus: atque illuc omnes cogitationes, labores et conſilia „noſtra conferamus, vt quae oues a DOMINO FIDEI NOSTRAE COMMISSAE SVNT, eas integras et ſaluas in Eccleſia retineamus; nec quidquam tantopere voluiſſe videamur, quam earum incolumitati conſulere. Quapropter Seniores, Apoſtolorum Principis vos alloquimur verbis, obſecro conſenior, et teſtis CHRISTI paſſionum, „qui et gloriae communicator; paſcite qui in vobis eſt, gregem „DEI etc.“ Nec pertinaciter hic quiſquam contendat, de ſe ſolum dixiſſe Papam, *quae oues a Domino fidei noſtrae commiſſae ſunt.* Praeceptum namque Chriſti praemiſit omnibus datum Apoſtolis, vt ad exemplum diuini Paſtoris illi ac omnes Epiſcopi ſectentur humilitatem. *Faceſſant*, inquit, *ab epiſcopali regimine animi tumor et contumaces mores.* Addit: *conſilia noſtra conferamus, vt quae oues a Domino etc.* quae conſilia ſunt Epiſcoporum vna cum Pontificis. Sed vt nullus dubitandi locus remaneat de mente fauentis nobis Pontificis, denuo eumdem auſcultemus: „A quo die, *pergit*, nobis praeter opinionem noſtram „incredibile illud accidit, vt ad Sacram B. Petri Sedem, omnium „Eccleſiarum verticem, noſtra diuinitus tolleretur humilitas, in

 „acer-

(x) *Epiſt. Encyclica ad Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos et Epiſcopos univerſae Eccleſiae Catholicae.*

Digitized by Google

„ acerrima illa cogitatione perpetuaque cura verſati, nimio plus „ oneris, quam quantum ferre poſſimus, eſſe nobis impoſitum; „ triſtitiae et lacrimis nos plane tradidiſſemus, niſi quiddam ſimile, „ quod ſanctiſſimo Prophetae, Iſraeliſque impigro Duci contigit, „ a nimio nos moerore deterruiſſet. Inclamans enim Moyſes Do- „ minum: Cur, inquit, *afflixiſti ſeruum tuum? et cur impoſuiſti pondus* „ *vniuerſi populi huius ſuper me? Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc po-* „ *pulum, quia grauis eſt mihi:* Quem, ne deficeret animo, quodque „ ſuſceperat onus vt bene perferret, congregare ſibi iuſſit DEVS „ ſeptuaginta Viros de ſenibus Iſrael, quibus Moyſis Spiritum „ indidit, vt populi eſſent magiſtri, et ſuſtentarent cum illo onus, „ nec ſolus Moyſes grauaretur. Nunc igitur illa conſolatio nos vna „ ſuſtentat, Venerabiles Fratres, quod VOS MVLTO ANTEA DEVS „ IPSE A RELIQVA FIDELIVM MVLTITVDINE AD REGENDARVM CV- „ RAM ANIMARVM ASCIVERIT; SOCIOS ET ADIVTORES DEDERIT, „ ac ſuo ipſius Spiritu, cum epiſcopalibus myſteriis initiati eſtis, „ abunde repleuerit etc.“ Tam luculenta ſunt iſta, vt nulla ratione eludi queant. Pontifex fatetur, quod *Deus ipſe Epiſcopos ad regendarum animarum curam adſciuerit: quod eos Deus ipſe regiminis eccleſiaſtici ſocios ſibi dederit.* Se ipſum comparat, ex veteri Teſtamento, Moyſi, tanquam ſupremum in Eccleſia, Epiſcopos vero ſeptuaginta Senibus, quos DEVS ipſe Moyſi adiungebat in ordine ad regendum populum, et hunc in finem illis de Spiritu Moyſis indidit.

XXXVI. Mirum ſane eſt, quod Bellarminus hoc ipſum exemplum e Veteri Lege deſumptum (ex nouae Legis Scriptura nihil allegare audet) in opinionis ſuae praeſidium aſſumere velit, ita gloſſans, aut magis peruertens ſacrum textum: „ Voluit DEVS oſtendere, in „ Moſe reſidere totam auctoritatem, alios autem ſiquam habent, a „ Moſe habere.“ S. Auguſtinum dein citat dicentem, iſtam ablationem Spiritus a Moyſe non ſignificaſſe diminutionem Spiritus in Moyſe, ſed deriuationem virtutis Seniorum a Moſis virtute. Enimuero certum eſt, quod DEVS ipſe, non vero Moyſes, ſeptuaginta viros et iudices conſtituerit; ſic enim habet ſacer textus: *Et dixit Dominus ad Moyſen, congrega mihi ſeptuaginta Viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti, quod ſenes populi ſint ac magiſtri, et duces eos ad oſtium tabernaculi foederis, facieſque ibi ſtare tecum, vt deſcendam et loquar tibi, et auferam de Spiritu tuo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi.* (y) Et inferius: *Deſcenditque Dominus per nubem, et locutus eſt ad eum, auferens de Spiritu qui*

(y) *Num. Cap. XI. v. 16. et 17.*

Digitized by Google

qui erat in Moſe, et dans ſeptuaginta Viris. (z) De Spiritu Moyſis accepiſſe dicuntur Seniores, non quod ab eo deriuatam auctoritatem habuerint, ſed quod DEVS *eumdem* Spiritum illis conceſſerit, quem Moyſi conceſſerat. Ita cum Cornelio a Lapide locum hunc ſcripturae explicant communiter Expoſitores, atque ipſe etiam S. Auguſtinus a Bellarmino citatus. Sic habet ille: „Et auferam de Spiritu, qui „eſt in te, et ſuperponam ſuper eos.... Plerique latini inter„pretes non vt in graeco eſt tranſtulerunt, ſed dixerunt, auferam „de ſpiritu tuo qui eſt in te, et ponam ſuper eos aut ponam in „eis, et fecerunt ſenſum laborioſum ad intelligendum. Putari „enim poteſt de Spiritu ipſius hominis dictum, quo humana na„tura completur corpore adiuncto, quae conſtat ex corpore et Spi„ritu, quem etiam animam dicunt... Poſſet etiam, ſicut alii in„terpretati ſunt, intelligi Spiritus DEI in eo, quod dicitur: de Spi„rtu tuo, qui eſt in te, vt dictum ſit tuo, quia fit etiam noſter, „qui DEI eſt, cum accepimus eum... Nunc autem cum ita ſcrip„tum ſit: et auferam de Spiritu, qui eſt ſuper te, nec dictum ſit „de Spiritu tuo, facilior eſt abſolutio quaeſtionis, quia intelligi„mus nihil aliud DEVM ſignificare voluiſſe, niſi ex eodem Spiritu „gratiae illos quoque habituros adiutorium; ex quo habebat Moy„ſes, vt et ii haberent, quantum DEVS vellet.“ (a) Tam aperta Auguſtini verba an non ſubleſtam reddunt Bellarmini fidem? S. Doctor aſſerit, Seniores ac Moyſen ex eodem gratiae Spiritu ſuum habuiſſe adiutorium, et quod idem DEVS Senioribus idem tradiderit, quod Moyſi tradiderat; cum Bellarminus affirmet, ſanctum Doctorem docere, DEVM non dediſſe Senioribus idem adiutorium, ſed quod illi iſtud a Moyſe acceperint. Sic manifeſtam obtrudit falſitatem.

XXXVII. Nec magis ſincerum ſe comprobat Bellarminus S. Cyprianum pro ſua allegans doctrina, citans eiusdem *Librum de vnitate Eccleſiae*, in quo, dicit, ſanctum Doctorem comparare Sedem Petri *capiti, radici, fonti, ſoli.* vnde ſic argumentatur: „In omni corpore „virtus membrorum deriuatur a capite, in omni arbore virtus ra„morum oritur ex radice, in omnibus riuis aqua fluit ex fonte, „omnium denique radiorum ſolarium lux eſt a ſole.“ Fallit eruditus Cardinalis. Falſiſſimum dicitur, a S. Cypriano Sedem Petri comparari capiti, fonti, radici, ſoli; ea namque praedicata non illi Sedi, ſed ipſi attribuit Eccleſiae, huius etſi per totum orbem diſperſae exhibens vnitatem, vt ea de cauſa et vnum in Eccleſia aſſerat eſſe

Epi-

(z) *ibid. v.* 25. (a) *Quaeſt. XXVIII. in Lib. Num.*

Digitized by Google

Epiſcopatum. Verba etſi nonnihil prolixiora, ex quibus iam quaedam adduximus, integra percipiamus: „ Loquitur Dominus ad Pe-
„ trum. *Ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus, et ſuper hanc petram*
„ *aedificabo Eccleſiam meam.* . . Et iterum eidem poſt reſurrectionem
„ ſuam dicit: *Paſce oues meas.* Super illum vnum aedificat Eccleſiam
„ ſuam, et illi paſcendas mandat oues ſuas. Et quamuis Apoſtolis
„ omnibus poſt reſurrectionem ſuam PAREM POTESTATEM tribuat,
„ et dicat: *Sicut miſit me Pater, et ego mitto vos, accipite Spiritum ſanctum,*
„ *ſi cuius remiſeritis peccata, remittentur illi, ſi cuius tenueritis, tenebuntur*, ta-
„ men vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiusdem originem ab vno
„ incipientem ſua autoritate diſpoſuit. HOC ERANT VTIQVE ET CE-
„ TERI APOSTOLI, QVOD FVIT PETRVS, PARI CONSORTIO PRAEDITI
„ HONORIS ET POTESTATIS. Sed exordium ab vnitate proficiſcitur,
„ et primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia et cathedra vna
„ monſtretur. Et Paſtores ſunt omnes, et grex vnus oſtenditur,
„ QVI AB APOSTOLIS VNANIMI CONSENSIONE PASCATVR, vt Eccle-
„ ſia Chriſti vna monſtretur. Quam vnam Eccleſiam etiam in Cantico
„ Canticorum Spiritus ſanctus ex perſona Domini deſignat, et dicit:
„ *vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuae, electa genitrici ſuae.*
„ Hanc Eccleſiae vnitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui
„ Eccleſiae renititur et reſiſtit, qui cathedram Petri, ſuper quem
„ fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? Quando
„ et beatus Apoſtolus hoc idem doceat, et Sacramentum vnitatis
„ oſtendat dicens: *Vnum corpus et vnus ſpiritus, vna ſpes vocationis veſtrae,*
„ *vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus.* Quam vnitatem
„ firmiter tenere et vindicare debemus, maxime Epiſcopi, qui in
„ Eccleſia praeſidemus, VT EPISCOPATVM QVOQVE IPSVM VNVM
„ ATQVE INDIVISVM PROBEMVS. Nemo fraternitatem mendacio fal-
„ lat, nemo fidei veritatem perfida praevaricatione corrumpat.
„ EPISCOPATVS VNVS EST, CVIVS A SINGVLIS IN SOLIDVM PARS TE-
„ NETVR. Eccleſia quoque vna eſt, quae in multitudinem latius
„ incremento foecunditatis extenditur. Quomodo ſolis multi radii,
„ ſed lumen vnum, et rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci ra-
„ dice fundatum, et cum de fonte vno riui plurimi defluunt, numero-
„ ſitas licet diffuſa videatur exundantis copiae largitate, vnitas tamen
„ ſeruatur in origine. Auelle radium ſolis a corpore, diuiſionem
„ lucis vnitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus
„ germinare non poterit. A fonte praecide riuum, praeciſus areſ-
„ cit. SIC ET ECCLESIA DOMINI LVCE PERFVSA PER ORBEM TOTVM
„ RADIOS PORRIGIT. Vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffun-
ditur

Digitized by Google

„ ditur, nec vnitas corporis ſeparatur. Ramos ſuos in vniuerſam
„ terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos latius
„ expandit. Vnum tamen caput eſt, et origo vna, et vna mater foe-
„ cunditatis ſucceſſibus copioſa. Illius foetu naſcimur, illius lacte nu-
„ trimur, Spiritu eius animamur. Adulterari non poteſt ſponſa
„ Chriſti, incorrupta eſt et pudica. Vnam domum nouit, vnius
„ cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit. Haec nos DEO ſeruat,
„ haec filios regno quos generauit aſſignat. Quiſquis ab Eccleſia
„ ſegregatus adulterae iungitur, a promiſſis Eccleſiae ſeparatur. Nec
„ perueniet ad Chriſti proemia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti.“ etc.

XXXVIII. Ex his manifeſte patet, ſanctum Cyprianum Eccleſiam vnam, quae in multitudinem latius ſeu per totum orbem extenditur, apellare ſolem, caput, fontem, arborem, vt illius commendaret vnitatem. Quam quidem vnitatem demonſtrat ex Scriptura, probat ex vnitate Epiſcopatus, ita vt vnus grex a Paſtoribus, nimirum Epiſcopis, AB APOSTOLIS VNANIMI CONSENSIONE regatur. Hanc Eccleſiae vnitatem curare prae aliis debere Epiſcopos aſſerit, inter quos et Romanum Pontificem comprehendit, quia cum illis iſte vnum tenet Epiſcopatum, vt a ſingulis pars in ſolidum teneatur. Hinc idem S. Pater monuit Cornelium Papam: „Hoc vel maxime, frater,
„ et laboramus, et laborare debemus, vt vnitatem a Domino, et
„ per Apoſtolos nobis ſucceſſoribus traditam, quantum poſſumus,
„ obtinere curemus.“ (b) Demum vt dictam comprobaret Eccleſiae vnitatem, eum in finem, ait, etiam Primatum Petro datum fuiſſe, non ea ratione, vt a Petro in alios flueret poteſtas, cum PAREM POTESTATEM Chriſtus etiam reliquis dederit Apoſtolis; ſed vt omnes Epiſcopi in indiuulſam vnitatem coaleſcere debeant cum ſucceſſore Petri primario, Romano Pontifice, ſicut Apoſtoli indiſſolubili vinculo cum Petro ſemper cohaeſerunt; vt ſic omnes Eccleſiae in vnam conflentur Eccleſiam illam, quae eſt vna Sponſi immortalis, a quo Epiſcopis ea concredita fuit, cuius vnitatis centrum Romana extat Eccleſia. Hic certo genuinus Cypriani ſenſus eſt, quem nec ipſe Bellarminus inficiari poterit, ne ſibi ipſi aduerſetur. S. Doctor namque Eccleſiae vnitatem firmatam praedicat eamdem pro omni tempore, quae ſtabilita fuit a Chriſto in Petro tanquam primo accipiente claues regni coelorum, et in Apoſtolis EAMDEM POTESTATEM a Chriſto recipientibus, et VNANIMI CONSENSIONE gregem paſcentibus. Cum vero, fatente Bellarmino, nihil autoritatis a Petro rece-

(b) *Lib. III. Epiſt. X.*

Digitized by Google

receperint Apoſtoli, nec auctoritatis quidquam a Pontifice accipient Epiſcopi. Et ſic dato genuino Cypriani ſenſu quis non perſpicit, non tantum inconſulte ab aduerſa parte laudata nobis obiici verba, vt potius illius doctrina, Cypriani auctoritate, penitus euertatur? *Epiſcopatus vnus eſt*, penſemus adhuc ſemel, aliis diſſimulatis, verba haec, *cuius a ſingulis in ſolidum pars tenetur;* non ergo a ſolo Pontifice tenetur Epiſcopatus, vt hic ab illo in alios deriuetur Epiſcopos, cum iſti, vt ſuperius ex Patribus demonſtrauimus, ipſi etiam S. Petro *in Epiſcopatu* ſuccedant, eo ipſo quod vnus tantum inſtitutus fuerit a Chriſto Epiſcopatus, et aeque reliquis Apoſtolis, ſicut Petro, ab eodem Seruatore communicatus; conſequenter et Epiſcopis aequae ac Romano Pontifici. Nam vt verbis Symmachi Papae omnia complectar, *ad Trinitatis inſtar, cuius vna eſt atque indiuidua poteſtas, vnum eſt per diuerſos Antiſtites ſacerdotium.* (c)

XXXIX. Hanc argumenti vim et efficaciam alius aduertens eam declinare conatur dicens, vnum a Cypriano aſſeri Epiſcopatum quantum ad poteſtatem ordinis. *Nec ſyllabam*, inquit, *de iurisdictione, ſed omnino contrarium exprimit, ſi tota legatur cohaerentia.* Sed pace Viri dixerim, eum manifeſte falſum obtrudere. Tantum laudata Cypriani verba vel obiter inſpiciantur, et dicti falſitatem denudabunt. Vnitatem Epiſcopatus ſanctus Doctor deducit ex vnitate Eccleſiae, aut potius probat vnitatem Eccleſiae ex vnitate Epiſcopatus, quod Chriſtus omnibus Apoſtolis PAREM CVM PETRO POTESTATEM contulerit, vt VNANIMI CONSENSIONE GREGEM VNVM PASCERENT, cum omnes Apoſtoli a Chriſto miſſi, ſicut ipſe a Patre miſſus fuit, claves regni coelorum acceperint. Eiusmodi locutiones qui ad poteſtatem ordinis reſtringere voluerit, omnem prorſus iurisdictionem non Epiſcopis tantum, ſed et Romano Pontifici, ipſique S. Petro abnegare debet, fuiſſe a Chriſto collatam; cum catholici eam dictis collatam haud aliter probemus, niſi quod Chriſtus Petro claues regni coelorum, poteſtatem ligandi et ſoluendi, paſcendi oues priuilegium, conceſſerit. Expeto ego ab aduerſario, vt vel ſyllabam exhibeat, qua ex cohaerentia textus ea Cypriani verba ad poteſtatem ordinis contrahat.

XL. Et haec, quae auctoritate Sacrae Scripturae, Patrumque nixi diſſeruimus, abunde demonſtrant immediate a Chriſto in Epiſcopos deriuatam poteſtatem ſeu iurisdictionem. Sed et plures eaeque grauiſſimae rationes theologicae eamdem perſuadent doctrinam, quarum aliquas iam in praecedentibus tetigimus; paucis quasdam adhuc

(c) *Epiſt. II. Ad Aeonium Arelatenſem Epiſcopum.*

Digitized by Google

adhuc damus. Diuinitus inſtitutam eſſe hierarchiam eccleſiaſticam, vnanimis catholicorum doctrina eſt ad factam a Concilio Tridentino definitionem; ad hanc hierarchiam, vt idem dogmatizat Concilium, *potiſſimum pertinent Epiſcopi, qui Apoſtolorum locum tenent.* (d) Ex quo ita argumentari licet. Chriſtus ipſe ordinauit hierarchiam eccleſiaſticam, vt ad eam *praecipue* pertineant Epiſcopi, *vt Apoſtolorum locum teneant.* Debent itaque Epiſcopi a Chriſto ea cumulari auctoritate, qua ab eodem Apoſtoli fuerunt cumulati; alias non poſſent *praecipue pertinere tanquam Apoſtolorum locum tenentes* ad Eccleſiam, vt ex verbis patet. At Apoſtoli in hierarchia a Chriſto ordinata ſunt ita collocati, vt ab ipſo, non a Petro habuerint ſuam iurisdictionem: Igitur et Epiſcopi ab eodem Chriſto ſuam habebunt iurisdictionem. Vel enim admittunt Aduerſarii eamdem hierarchiam in Eccleſia perſeuerantem, quae erat tempore Apoſtolorum, ſeu Chriſti ordinantis, vel non amplius eadem extat? ſi non amplius extat eadem, nulla vnquam ratione *diuinitus* inſtitutam probabunt; quod enim recedit a prima inſtitutione, eiusdem inſtitutionis eſſe nequit. Si eadem adhuc perſeuerat hierarchia, ea ipſa poteſtas quoque deriuari ab eodem debet in illos, qui ſunt ſucceſſores primo in hac hierarchia conſtitutorum, quales fuere Apoſtoli, qui ab ipſo Chriſto, vt auctoritatem a ſe tenentes, collocati fuerunt in nouiter erecta et ordinata hierarchia. Non ſeruatur idem regendi ordo quoad inſtitutionem, ſi poteſtatis regendi inuertitur origo. Eadem regiminis forma in Regno haud perſeuerat, ſi Procerum poteſtas aliunde accipitur, quam vnde accipiebant anteceſſores. Igitur et non amplius *eadem diuinitus inſtituta* perdurabit eccleſiaſtica hierarchia, ſi Proceres Eccleſiae et praecipue ad hierarchiam pertinentes aliunde accipere debeant ſuam auctoritatem, quam illorum primi Anteceſſores, Apoſtoli nimirum, quorum locum tenent.

XLI. Vlterior ratio petitur ex eo, quod, fatentibus Aduerſariis, poteſtas ordinis a DEO immediate proficiſcatur. Cur non etiam poteſtas iurisdictionis? Videtur vtraque poteſtas indiſſolubili nexu colligata. Hinc vbi conſecratur Epiſcopus, huic vtraque poteſtas ſimul inſinuatur. S. Gregorius M. recitat ritum conſecrandi Epiſcopos, vbi inter alia haec habetur oratio: „Tribuas ei Domi„ne cathedram epiſcopalem ad regendam Eccleſiam tuam, et ple„bem vniuerſam: ſis ei auctoritas, ſis ei firmitas, ſis ei poteſtas „etc.“ (e) Perpendendum hic, quod ritus iſte pro conſecratione

(d) *Seſſ. XXIII. Cap. IV. et Can. VI.* (e) *In ſuo Sacramentario.*

Digitized by Google

Pontificis aeque ac aliorum Epiſcoporum praeſcriptus ſit. Cum igitur Pontifici non tantum poteſtas ordinis, ſed et iurisdictionis tradatur, cur non Epiſcopis? Et nonne nugatoria foret dicta ad DEVM directa oratio, vt cathredam epiſcopalem tribuat ad regendam Eccleſiam, ſi eamdem non DEVS, ſed Pontifex traderet?

XLII. Argumentum hoc admodum infirmum reputant Adverſarii, vt inuerſum ſibi aſſumant. Poteſtatem ordinis a Papa non haberi, inquiunt, inde colligitur, quod Epiſcopus eſſe nequeat hac non pollens facultate, et etiam contranitente Pontifice eam ſemper et vbique ille exercere valeat; cum econtra Epiſcopi eſſe poſſint, qui iurisdictione carent, vti ſunt regionarii, ac reſignati: ac Pontifex etiam habitam iurisdictionem illis adimere valeat aut minuere. Ex quibus inferunt, iurisdictionem minime in conſecratione vna cum poteſtate ordinis conferri. A contrario id exhibent. Quia Apoſtoli immediate a Chriſto cum poteſtate ordinis acceperunt iurisdictionem, Petrus eam auferre non potuit nec minuere. Nec obſtant, pergunt, quod in conſecratione Epiſcopi DEVS rogetur, vt cathedram epiſcopalem conſecrando tribuat, cum et in ordinatione Presbyteri initiando dicatur: *accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata, remiſſa ſunt etc.* Cum tamen iurisdictio ab Epiſcopo modo poſtea concedatur Presbytero in ordine ad dandam abſolutionem. Scilicet *radicalis*, non *formalis* iurisdictio per ſimilia verba indicatur. Eapropter Pontifex in creandis Epiſcopis hac formula vtitur: „Pro-
„ videmus Eccleſiae tali de tali perſona, et praeficimus eum in Patrem
„ et Paſtorem ac Epiſcopum eiusdem Eccleſiae, committentes ei ad-
„ miniſtrationem in temporalibus et ſpiritualibus, in nomine Pa-
„ tris et Filii et Spiritus ſancti. Amen.“

XLIII. Haec fere potiſſima ſunt, quae a Lainio et Bellarmino nobis hic opponuntur; at iis argumenti vis non eliditur. Contendimus, Epiſcopum, vti ſine poteſtate ordinis eſſe nequit, nec ſine poteſtate iurisdictionis eſſe poſſe, et vtramque poteſtatem in conſecratione Epiſcopo tribui. Quando enim conſecratur Epiſcopus, Paſtor conſtituitur; hoc namque vocabulo a Scriptura et Patribus honorantur Epiſcopi. Paſtor autem ſine paſcendi facultate concipi nequit. Ac ideo Apoſtolus inter conditiones in Epiſcopo requiſitas aſſignat et eam, vt domui ſuae bene praeſit, addens rationem: *Siquis domui ſuae praeeſſe neſcit, quomodo Eccleſiae* DEI *diligentiam habebit.* (f) Supponit itaque, Epiſcopo neceſſario ineſſe curam ſeu regimen Eccle-

(f) *I. Timoth. Cap. III. v. 5.*

cleſiae. Aut aſſignent Aduerſarii, quandonam iurisdictio Epiſcopo tribuatur, ſi non in conſecratione datur? Non in electione; cum nullas in ea partes habeat Pontifex ſaltem in pluribus electionibus et Eccleſiis, ſicut antiquitus nullas habebat. Non etiam in confirmatione; nam et iſta antehac Pontifici non competebat, vt ſupra ex Thomaſſino retulimus. Fors dicent, hanc facultatem confirmandi Epiſcopos a Pontifice fuiſſe in Metropolitas transfuſam, vt iſti nomine et auctoritate illius id egerint. Sed ſic petitur principium. Et quo in *antiquo* monimento Pontifices leguntur hanc facultatem Metropolitis conceſſiſſe? Antiquiſſima Concilia nonniſi de Metropolitanorum auctoritate loquuntur, vti Laodicenum (g) Antiochenum (h) etc. nec minimum occurrit, a Pontifice dictam dimanare facultatem. Exhibeant nobis ex primis illis temporibus, quod ita favet hac in cauſa Pontifici, quam id, quod in fauorem Metropolitarum ordinatum fuit in Concilio Nicaeno, vbi legimus: *Siquis praeter ſententiam Metropolitani factus fuerit Epiſcopus, hunc magna Synodus definiit Epiſcopum eſſe non oportere.* (i) Sed ſi confirmatio Epiſcoporum ſoli etiam Papae competeret, per hoc non argueretur, et ab ipſo illorum iurisdictionem deſcendere; confirmatio namque communiter ſolet antecedere conſecrationem; ſicque ſi Papa confirmans tribueret iurisdictionem Epiſcopo, hic eam poſſet habere, quin haberet poteſtatem ordinis, quod vix Catholicorum aliquis admittere poterit; ne alias Aerii et Nouatorum dogma recipere cogatur, quod nullam ſtatuit de iure diuino Presbyterorum diſtinctionem quoad poteſtatem; cum Pontifex etiam ſimplici ſacerdoti epiſcopalem conferre poſſet iurisdictionem, imo actu conferret; cum, vt diximus, confirmatio ſoleat antecedere conſecrationem. Nec haereſis Aerii in eo tantum verſabatur, quod Presbyterum in ſola ordinis poteſtate Epiſcopo parem dixerit; ſiquidem Catholici omnes contra eumdem et poteſtatem ordinis ac iurisdictionis in Epiſcopo, qua caret Presbyter, reſidentem probant. Vlterius ſupponamus, Pontificem negare confirmationem, ſicque, vt Adverſariis placet, iurisdictionem Epiſcopo iam conſecrato; hiccine *iure diuino* antecedet Presbyteros ſecundi ordinis auctoritate iurisdictionis, et non ſolo ordine? ſi non antecedit, Aerii dogma ſuſcipitur. Si antecedit auctoritate, haec a Pontifice, vtpote reluctante, proficiſci nequit. Manet itaque, ab ipſo Chriſto, in conſecratione, in Epiſcopum regendi Eccleſiam fuiſſe facultatem deriuatam.

(g) *Can. XII.* (h) *Can. IX. et XIX.* (i) *Can. VI.*

XLIV. Quid ergo dicemus de Epiſcopis regionariis, ſeu titularibus, reſignatis, deiectis etc.? Idipſum quod de Benedicto XIII. Gregorio XII. Ioanne XIII. (quorum vnus verus Pontifex fuerit, oportet) deiectis in Concilio Conſtantienſi: de Coeleſtino V. reſignato: de Liberio, Martino I. etc. in exilium deportatis etc. nimirum, poſito impedimento, vſus iurisdictionis, non ipſa iurisdictio deeſt. Aut ſi per reſignationem, vel depoſitionem ipſa iurisdictio dicatur amitti, Epiſcopus reſignatus, depoſitus, exutus eſt auctoritate, vti Papa reſignatus, depoſitus. Concilium Conſtantienſe ſubſtituens vero Pontifici tunc quidem incognito, Martinum V. huic non tribuit iurisdictionem, vt volunt aduerſarii, ſed is ab ipſo Chriſto eam eſt conſecutus. Igitur et Pontifex ſubſtituens Epiſcopum huic conferre iurisdictionem dicendus haud eſt. Ponamus, integram dioeceſin quamdam degenerare in infidelitatem, ac Epiſcopum inde abiici. An ei non amplius competat iurisdictio? nemo id dixerit; neque enim infidelitas et recuſatio ſubditae alias plebis adimere poteſt Epiſcopo ſuum ius: quod idem de Principe a Tyranno, vel rebelli populo, pulſo dicendum. Interim penes Pontificem non eſt, vt pro libitu Epiſcopos deponat, aut eorum iurisdictionem reſtringat; cauſa rationabili exiſtente pro ſua primatiali auctoritate deponere eum poſſe Epiſcopum, vel huius limitare poteſtatem, non inficiamur. Attamen et hic eccleſiaſtica diſciplina obſeruanda erit, quae longe diuerſa fuit primis Eccleſiae Seculis ab illa, quae a Seculo IX. introduci cepit, vt teſtatur Thomaſſinus. (k)

XLV. Sacerdos quoque ſecundi ordinis poteſtatem abſoluendi, ac commiſſum ſibi gregem regendi, immediate a Chriſto accipit. Sunt enim illi Succeſſores ſeptuaginta duorum diſcipulorum Chriſti, ſicut Epiſcopi Apoſtolorum, vt loquuntur Patres. Epiſcopus nouiter ordinatos Presbyteros his verbis in Pontificali Romano praeſcriptis adhortatur: „ Fratres dilectiſſimi et ſacerdotes Domi„ ni, cooperatores ordinis noſtri eſtis. Nos vice duodecim Apo„ ſtolorum fungimur: vos ad formam 70. diſcipulorum eſtis.“ Ad eos igitur pertinet, quod Saluator ad diſcipulos dixit: Ite, EGO MITTO VOS. QVI VOS AVDIT, ME AVDIT. (l) Et, vt ſupra aduertimus, nonnulli ſanctorum Patrum ad eosdem referunt illam Pauli exhortationem: *Attendite vobis, et vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Et ſane inconuenientia ſequerentur, ſi Presbyterorum poteſtas non immediate haberetur a Chri-

(k) *Vet. et Nou. Eccleſ. Diſcipl. Part. I. Lib. I. Cap. XLXIII.*
(l) *Luc. Cap. X.*

Digitized by Google

Chriſto. Nouimus, Abbates nonnullos, irrequiſito vel etiam invito Epiſcopo, conſtituere Curatos. Horum poteſtas ab Epiſcopo vtpote inuito et contradicente non deriuatur : neque etiam ab Abbate dimanat; originem enim et fontem, ex quo Presbyterorum fluat auctoritas, non eſſe Abbatem, haud difficulter concedent Adverſarii. Sed dicent, Abbatem munitum auctoritate Pontificis, qui exemptionis priuilegium conceſſit, conferre iurisdictionem. At notum eſt, alicubi et Abbatiſſam pro ſuo beneplacito Curatum ſibi aſſumere, ac aſſumptum denuo deponere. Num foemina auctoritate Papali iurisdictionem adtribuat Presbytero, vt illa ſit medius canalis, ex quo fluat poteſtas ſpiritualis? Dicamus igitur, Presbytero competere diuinitus datam poteſtatem, vt tamen eamdem exerceat, aſſignari eidem debere plebem, in quam illam exerceat. Et haec opinio optime concordat doctrinae Concilii Tridentini, qua ita ordinauit: „ *Quamuis Presbyteri in ſua ordinatione a peccatis abſol-* „ *vendi poteſtatem accipiant*; decernit tamen ſancta Synodus, nullum „ etiam Regularem poſſe confeſſiones ſecularium etiam Sacerdotum „ audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale benefi- „ cium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſ- „ ſarium, aut alias idoneus iudicetur, et approbationem quae gra- „ tis detur, obtineat." (m) Docet hic Sacra Synodus, abſoluendi poteſtatem in ordinatione Presbyteros accipere; vt tamen actu eam exerceant, requirit examen aut approbationem Epiſcopi, qui nimirum dignos illos cognoſcat, quibus ſibi commiſſus grex committatur. Quando vero docet, „ nullius eſſe momenti abſolutio- „ nem, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſub- „ delegatam non habet iurisdictionem;" (n) ſicque ſupponere videtur, iurisdictionem Sacerdoti neceſſario non ineſſe vi ordinationis; id pro exercitio iurisdictionis actuali accipere debemus, vt ſic cum dependentia ad Epiſcopum a Presbyteris data ipſi poteſtas exerceatur. Contendimus enim, Chriſtum hierarchiam in Eccleſia conſtituentem ita ordinaſſe, vt Presbyteri datam ſibi diuinitus poteſtatem non exerceant niſi cum dependentia ad Epiſcopos.

XLVI. Hac ipſa ex ratione defendimus Primatum Romani Pontificis, vt Epiſcopi cum quadam ad eum ſubordinatione ſuam quoque diuinitus datam iurisdictionem exerceant ex mente et iuſſu Chriſti fundantis hierarchiam eccleſiaſticam. Qualis vero haec ſit dependentia, non audemus hic definire. Qualiſcunque autem ſtatuatur,

tur,

(m) *Seſſ. XXIII. Cap. XV. de Reform.* (n) *Seſſ. XIV. Cap. VII.*

Digitized by Google

tur, noſtra non infringitur doctrina; cum ſuis limitibus Pontificiam, etſi ampliſſimam, et in totam Eccleſiam exuberantem, auctoritatem a Chriſto circumſcriptam teneamus, vt pro ſuo voluntate reſtringere nequeat epiſcopalem poteſtatem, quod eſſet abſoluti Monarchae, qualis Papa haud eſt., in hoc omnibus vix non hodie conſpirantibus Doctoribus, permixtam eſſe regimini eccleſiaſtico ſaltem ariſtocratiam ex ipſa diuina inſtitutione. Quare, vt falſo quidam opinantur, nobis non obſtat Tridentinum, quando docet: „ merito Pontifices „ Maximos pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia vniuerſa tradita, „ cauſas aliquas criminum grauiores ſuo potuiſſe peculiari iudicio „ reſeruare.“ Chriſtus namque Pontificem conſtituendo Primatem, omnem eidem tradidit auctoritatem, vt ſiquid expoſcat Eccleſiae emolumentum, id ordinare vbique valeat, licet regendi poteſtatem Epiſcopis quoque tribuerit, ſed talem, quae Pontifici ſubordinata eſt pro rerum circumſtantiis. Solent Principes diuerſa conſtituere tribunalia, quorum quodlibet cauſas ſibi competentes dirimit, vt tamen grauiores nonnumquam ex ipſa Principis ordinatione ab vno tribunali abſtrahi, et ad aliud altius referri debeant, quin tribunal hoc ſuperius inferiori tribuat ſuam auctoritatem, quam ipſe concedit Princeps. Interim iterato proteſtor, quod nolim definire, ad quae ſe extendat Pontificis auctoritas. Noui enim, et catholicos nonnullos, praeſertim Louanienſes ac Colonienſes Theologos, laudatum Tridentini decretum, ſic generaliter conceptum, ſiniſtro nonnihil oculo reſpexiſſe, vt *Epiſcoporum conſenſum* admixtum peroptauerint, ac quod de iure diuino nulli caſus Romano Pontifici reſeruentur; id quod et docet Thomaſſinus (o) exhibens, pluribus ſeculis plenam et omnimodam authoritatem abſoluendi penes Epiſcopos fuiſſe, vt poſt annum Chriſti milleſimum quidam caſus Papae reſeruari modo ceperint. Et quidem haec reſeruatio non fuit introducta Pontificis tantum voluntate et auctoritate, ſed potius conniuentia Epiſcoporum, qui ad Papam remittebant grauiorum criminum reos, vt ſic obices inuictiſſimi ponerentur criminum impunitati, vt loquitur laudatus Thomaſſinus, variis id demonſtrans exemplis, addensque, vt plurimum Pontifices remiſiſſe poenitentes ad ſuos Epiſcopos, vt ab his abſoluerentur. Legimus quoque, Epiſcopos ac Synodos fuiſſe proteſtatas contra datas a Pontifice abſolutiones. Sic proteſtatae ſunt Synodi Salegunſtadienſis ſub Benedicto VIII. et Le-

(o) *Vet. et Nou. Eccleſ. Diſcipl. Part. I. Lib. II. Cap. XIII. et XIV.*

Lemouicenſis ſub Benedicto IX. dicentes, abſolutiones a proprio Epiſcopo potius fuiſſe impartiendas. (p)

XLVII. Dictam ſubordinationem, quacum ad Papam Epiſcopi ſuas regunt Eccleſias, nolumus aequare quoad omnia illi, qua ad Epiſcopos relati regunt ſuum gregem Presbyteri, licet et horum, ſicut illorum, iurisdictionem a Chriſto immediate deſcendere affirmamus. Maiorem namque eſſe Epiſcoporum auctoritatem in ſuos Presbyteros, quam Pontificis in Epiſcopos, docemur ex eo, quod Epiſcopi ſint Principes in Eccleſia a Chriſto conſtituti, *qui ipſius Dei imaginem propter Principatum referunt*, vt ait S. Ignatius. (q) Quique, vt adnotauimus, turbari nullatenus a Pontifice poſſunt, ſi debite ſuo funguntur officio. Iteratam excipiamus Magni Gregorii proteſtationem. „ Si ſua, *inquit*, vnicuique Epiſcopo iurisdictio non ſeruatur, quid aliud agitur, niſi vt per nos, per quos Eccleſiaſticus ordo cuſtodiri debuit, confundatur.“ (r) Porro, vt ſupra retulimus, nec in electione, nec in confirmatione Epiſcoporum vlla antiquitus interceſſit Papae auctoritas; ac praeterea omnes cauſae eorumdem Prouinciali concilio ſeruabantur, quod erat ordinarium tribunal, vt docent Concilia Antiochenum (s) Conſtantinopolitanum I. (t)

I Chal-

(p) *Can. VIII.* Concilium Salegunſtadienſe ita habet: „ Quia multi tanta mentis ſuae falluntur ſtultitia, vt in aliquo capitali crimine inculpati poenitentiam a Sacerdotibus ſuis accipere nolint, in hoc maxime confiſi, vt Romam euntibus Apoſtolicus omnia ſibi dimittat peccata, ſancto viſum eſt concilio, vt talis indulgentia illis non proſit, ſed prius iuxta modum delicti poenitentiam ſibi datam a ſuis Sacerdotibus impleant, et tunc Romam ire ſi velint, ab Epiſcopo proprio licentiam et literas ad Apoſtolicum ex eisdem rebus deferendas accipi.“ Ita Canonem refert Cabaſſutius *in hiſt. eccleſiaſt. Seculi XI. pag.* 377. additque: *Nondum illis temporibus vſus inoleverat, quo ſubducti Epiſcoporum iurisdictioni certi caſus.* Ego ex laudato Canone colligo, Germaniae noſtrae Praeſules in hoc Concilio congregatos pro certo tenuiſſe, ſe a Pontifice ſuam non habere iurisdictionem. Qua enim ratione indulgentiam a Pontifice datam nihil prodeſſe, ſtatuere potuiſſent, ſi ipſorum indulgendi auctoritas non eſſet niſi deriuata a Pontificia poteſtate? Nolo hic concertare de auctoritate huius Concilii, quam, ſcio, ab Eruditis viris ſatis infirmam adnotari; id vnum obſeruari volo, Praeſules in eo congregatos de ſua non dubitaſſe diuinitus data poteſtate.

(q) *Epiſt. ad Smyrn.*

(r) *Lib. IX. Epiſt. XXII. vet. edit.*

(s) *Can. XIV. et XV.*

(t) *Can. VI.*

Chalcedonenſe (v) et Africana (x) et optime notat Fleurius. (y) Quod autem Tridentinum (z) contrarium ordinauerit, non obſtat; rem enim ad diſciplinam ſpectantem mutationi obnoxiam eſſe, quilibet nouit. Ad quam diſciplinam eccleſiaſticam pertinere quoque dignoſcitur ea formula, quam Bellarminus aſſerit, vſurpari a Pontifice

---

(v) *Can. IX.*
(x) *Can. XII. XV. XIX. XXVIII. LXXXVII.*
(y) *Diſcurſu IV. in Hiſt. Eccleſ. n.* 3. vbi ait: „ Il eſt dit dans les fauſſes Decretales, que les Evêques ne peuvent être jugez definitivement que par „ le Pape ſeul, et cette maxime y eſt ſouvent repetée. Toute fois vous „ avez vù cent exemples du contraire.... Rien n'eſt plus frequent das les „ neufs premiers ſiécles, que les accuſations, et les depoſitions des Evê„ ques: mais leurs procés ſe faiſoient dans les Conciles provinciaux, qui „ etoient le tribunal ordinaire pour toutes les cauſes eccleſiaſtiques. Il faut „ ignorer abſolument l'hiſtoire de l'Egliſe, pour s'imaginer, qu'en aucun „ tems, ni en aucun pais on n'ait jamais pû juger un Evêque ſans l'envoyer „ à Rome, ou faire venir une commiſſion du Pape."
(z) *Seſſ. XXIV. Cap. V.* ita habet: „ Cauſae criminales grauiores contra Epi„ ſcopos, etiam haereſis, quod abſit, quae depoſitione aut priuatione „ dignae ſunt, ab ipſo tantum ſummo Pontifice cognoſcantur et terminen„ tur. Quodſi eiusmodi ſit cauſa, quae neceſſario extra Romanam Curiam „ ſit committenda, nemini prorſus ea committatur, niſi Metropolitanis aut „ Epiſcopis a beatiſſimo Papa eligendis. Haec vero commiſſio et ſpecialis „ ſit, et manu ipſius ſanctiſſimi Pontificis ſignata, nec vnquam plus his „ tribuat, quam vt ſolam facti inſtructionem ſumant, proceſſumque confi„ ciant: quem ſtatim ad Romanum Pontificem tranſmittant; reſeruata eidem „ Sanctiſſimo ſententia definitiva... Minores vero criminales cauſae Epiſco„ porum in Concilio tantum prouinciali cognoſcantur et terminentur." Haec verba ſane diuerſum quid continent, quam laudati Canones. Imo ipſi Concilio Sardicenſi adverſantur, etiam vbi in fauorem Romanae Eccleſiae relationes ad Pontificem probauit. Sic. Can. III. habetur: „ Siquis Epiſcoporum in aliquo „ negotio condemnandus viſus fuerit, et exiſtimet ſe non malam ſed bonam „ cauſam habere, vt etiam rurſus iudicium reuocetur, ſi veſtrae dilectio„ ni videtur, Petri Apoſtoli memoriam honoremus, vt ab iis, qui iudicave„ runt, ſcribatur Iulio Romanorum Epiſcopo, et per propinquos provinciae „ Epiſcopos, ſi opus ſit, iudicium renouetur, et cognitores ipſe praebeat. „ Si autem probari non poteſt, cauſam eſſe talem, ut ea rurſus iudicari opus „ ſit, quae ſemel ſunt iudicata, non infirmentur, ſed rata ſit lata ſententia." Admittitur ſeu ordinatur hic, Patribus libere conſentientibus ad honorandum S. Petrum, id expetente Oſio, recurſus ad Romanam Sedem a ſententia Epiſcoporum in cauſa condemnandi Epiſcopi, quando hic bonam iudicat cauſam ſuam. Facto recurſu Pontifex iubetur propinquis prouinciae Epiſcopis cauſam relinquere, vt vel iudicium renouent, aut ſententiam prius latam ratam habeant. Epiſcopis itaque in Concilio Sardicenſi relictum fuit iudicium in ordine ad condemnandum Epiſcopum.

Digitized by Google

fice in creando nouo Epiſcopo, vtpote quae antiquitati vniuerſae erat incognita; cum penes Papam non fuerit, vt vel Eccleſiae de tali perſona prouideret, ac eam in Epiſcopum ac Paſtorem praeficeret, vel adminiſtrationem in temporalibus ac ſpiritualibus committeret. Haec et plura ſimilia, quae ex antiqua Eccleſiae diſciplina adduci poſſent, nos edocent, dependentiam Epiſcoporum ab Romano Pontifice tam amplam haud eſſe, quam eſt Presbyterorum ad Epiſcopum; cum iſti nullo vnquam tempore admiſſi fuerint ad actum quemdam regiminis exercendum, niſi concedente et conferente Epiſcopo, vt ab hoc neceſſario ipſis plebs fuerit aſſignanda, in quam diuinitus acceptam poteſtatem exercere potuerint: Neque cauſae illorum ad aliud quam ad Epiſcoporum tribunal, tanquam ordinarium, trahi poterat; niſi Epiſcopus ipſe iniuriam Presbytero inferret: quo caſu ipſi vtique de remedio prouiſum fuit, ſicque de alio tribunali.

XLVIII. Nemo ſit, qui ſententiam noſtram auctoritati Pontificiae inimicam proclamet; cum, non obſtante poteſtate Epiſcoporum immediate a Chriſto deriuata, ſupremam Pontifex teneat in Eccleſiam vniuerſam auctoritatem, cui omnium totius Chriſtiani orbis Epiſcoporum auctoritatem de iure diuino ſubordinatam dicimus et defendimus. Aduerſa potius ſententia, vt iam dicta probant, inſidias ſtruit Primatui Pontificis. Hic enim, vt cum Cl. Barthelio loquar, quantus quantus eſt, in poteſtate diui Petri, Pontificumque Romanorum in ea ſucceſſione fundatur; cum Patres aſſerant, id, quod Petro a Chriſto dictum fuerat, etiam ad Pontificem pertinere, quia iſte illius Succeſſor exiſtit. At Patres aeque docent, Epiſcopos ſuccedere in locum Apoſtolorum. Iam ſi Aduerſarii *ſimilitudinariam* hanc ſucceſſionem adſtruere non verentur, vt extraordinaria ſolum poteſtas Apoſtolis a Chriſto fuerit data, in qua non ſucceditur; nonne Sectarii Petri poteſtatem extraordinariam aequali iure dicere poſſent, vt Pontifex proin non ſuccederet? Non reperient profecto Aduerſarii Catholici, quo ſe contra clypeum hunc Acatholicorum muniant. Cordatum quemlibet appello, an Bellarminus ad factam ſibi obiectionem de ſucceſſione Epiſcoporum in locum Apoſtolorum ſolidae reſponſionis quidquam regerat, vel vero principium petat, inquiens: „ Magnum eſt diſcrimen inter ſucceſſionem Petri et alio-„ rum Apoſtolorum. Nam Romanus Pontifex proprie ſuccedit Pe-„ tro, non vt Apoſtolo, ſed vt Paſtori ordinario totius Eccleſiae, „ et ideo ab illo habet Romanus Pontifex, a quo habuit Petrus.

„ At Epiſcopi non ſuccedunt proprie Apoſtolis, quoniam Apoſto-„ li non fuerunt ordinarii, ſed extraordinarii, et quaſi delegati „ Paſtores, quibus non ſucceditur?“ Sic nimirum euenit, vt dum immoderato Zelo, neſcio quibus vanis argutiis vltra verum extollere quidam pontificiam authoritatem attentant, indubitatum Pontificis Romani Primatum haereticorum ludibriis exponant Quod optime adnotauit vir celeberrimus, Eminentiſſimus Cardinalis Contarenus, qui ſingulari tractatu Primatum Pontificis contra hederodoxos validiſſime propugnauit. Conqueritur is de quibusdam iuris peritis, quos inter Fagnanus infimum certe locum non meretur; „ qui „ dum prae omnibus operam dant, vt authoritatem et poteſtatem „ Pontificis amplificent, eo deuenerunt, vt dum vana quaedam, „ quid dicam vana? imo falſa, et quae iudicio doctorum, et pro-„ borum hominum potius ſapiunt idololatriam, quam pietatem vl-„ lam, adſtruere conantur; aduerſariis huius ſanctiſſimae Sedis oc-„ caſionem dederint, vt queant facile populo Chriſtiano illudere, „ eique perſuadere, nullam eſſe Romani Pontfiicis authoritatem, „ eumque aequent quibuſcunque Epiſcopis: quodque ſi humano „ quodam iure hanc obtinuerit Romanus Pontifex hucuſque autho-„ ritatem, poſſit etiam in tot abuſibus ea authoritate priuari. Hoc „ facile multis populis perſuaſerunt, occaſionem nacti ab argumen-„ tis vanis illis, quibus nimio quodam affectu dicti iuriſperiti ſtu-„ dent hanc Pontificis authoritatem amplificare etc.“ (a) Nonne haereticorum ſibilo poteſtas pontificia patet, cui eam tribuunt Catholici quidam eminentiam, quam alii Catholici nonniſi ex *aſſentationis vitio* ab illis attributam dicunt? Fatetur Lainius ad initium ſuae Orationis, complures eum fuiſſe dehortatos, ne aduerſam nobis ſententiam propugnaret, vt ſic aſſentatoris pontificii crimine ſe non inquinaret.

XLIX. Inſidias ſtruit aduerſa ſententia hierarchiae eccleſiaſticae diuinitus inſtitutae, ad quam primario pertinere Epiſcopos, declarat Concilium Tridentinum. Vt enim diuinam inſtitutionem huius hierarchiae teneamus, dicere oportet, eam primitus Petrum reliquoſque Apoſtolos, item diſcipulos Chriſti conſtituiſſe; ac, vt laudatum Concilium loquitur, Apoſtolorum locum modo tenere Epiſcopos, certe eadem cum auctoritate, quam tamen inficiantur Aduerſarii. Inſidias denique ſtruit oppoſita doctrina ſupereminen-

tiae

(a) *Epiſt. inſcript. Paulo III.*

tiae Epiſcoporum ſupra Presbyteros ſecundi ordinis diuinitus conſtitutae; cum hanc ſupereminentiam omnes Catholici potiſſimum ex dicta Epiſcoporum in locum Apoſtolorum ſucceſſione probent contra Sectarios. Quod argumentum denuo corruit, vbi *vera* non admittitur ſucceſſio; ſi nimirum, vt contendit Bellarminus, Epiſcopi *per ſimilitudinem* tantum ſuccedunt Apoſtolis, ſicut Presbyteri ſuccedunt ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis, quos, ait, nihil prorſus ordinis et iurisdictionis accepiſſe a Chriſto, et conſequenter meros Laicos fuiſſe. Hoc enim ſtatuto, nihil prorſus pro catholico dogmate ex dicta ſucceſſione elici, ſed potius contrarium, facili negotio quiſque deprehendet. Si diſcipuli Chriſti, vtpote Laici, in hierarchia eccleſiaſtica nullum obtinuerunt locum ſeu praecipuam dignitatem, nec talem obtinebunt eorum ſucceſſores, qui ſunt, ad doctrinam Patrum, Presbyteri. Si dein ſucceſſio Epiſcoporum in locum Apoſtolorum talis pariter ſit, vt non eamdem cum iſtis dignitatem obtineant, corruit dignitas epiſcopalis, corruit tota hierarchia eccleſiaſtica. Profecto Caldervvood, qui ſe hierarchiae eccleſiaſticae et Epiſcoporum ſupereminentiae omnibus viribus opponit, confitetur, ſe reperire in Bellarmino, quod ſibi faueat, quando ille *ſimilitudinariam* tantum Epiſcoporum ſucceſſionem in locum Apoſtolorum ſtatuit; ac tradita ſententia Bezae, Spalatenſis, recitatiſque Bellarmini verbis, concludit: *Vides, vt conuenit inter Bezam, Bellarminum, Spalatenſem.* (b) En! medium inter Bezam et Spalatenſem collocat Bellarminum. Idem Anglus Lainium quoque ſibi fauentem demonſtrat; poſtquam enim huius ſententiam, et agitatam in Tridentina Synodo controuerſiam retuliſſet, denuo hanc infert concluſionem: *Quae pro Epiſcopis falſo allata ſunt*, nimirum a Lainio, *Presbyteris recte accommodari poſſunt contra Epiſcopum Papa minorem* (ſic deſignat Epiſcopum, vt ad Romano Pontifice eum diſcernat) *nempe ſi pendeat ipſorum poteſtas ab Epiſcopis, perinde eſſe, ac ſi ille ſolus eſſet Paſtor, ipſi vicarii tantum ad eius nutum amouendi, et ſi poſſit ipſorum auctoritatem eorumque paroecias reſtringere aut extendere, ſequetur non eſſe Presbyteros de iure diuino.* (c)

L. Et haec caute monenda duxi, vt appareat, quod ſententia noſtra non tantum non ſit iniurioſa ſummo Pontifici, vt quidam calumniantur, ſed potius eadem firmetur primatialis ipſius poteſtas, cui aduerſa ſententia aperte inimica eſt, ſicut et diuinitus

(b) *In ſuo altari Damaſceno Cap. de Epiſcopo et Presbytero eiusdem gradus.*
(c) *L. cit.*

Digitized by Google

in Eccleſia conſtitutae hierarchiae, praecipue eminentiori prae Presbyteris Epiſcoporum dignitati et auctoritati. Quam ob rem nemo a graui turma, quam Lainius iactat, Theologorum ac Doctorum ſe abripi ſinat, etiamſi eis SS. Bonauenturam et Thomam adnumerare quoque oporteret. Neque enim mirum, ſi falſae Decretales, de quarum authenticitate nemo tum ambigebat, Doctores etiam celebres, ſed quibus propoſitum haud erat, ampliorem huius germanitatis texere inquiſitionem, in aduerſam traxerint opinionem. Interim omnia hic dicta ſupremo Romanae Eccleſiae iudicio pleniſſime ſubiicio ſanctiſſimae huius Matris filius obſequentiſſimus. Et ſi praeter intentionem meam indignum quidquam in medium protuli, id pro non adiecto volo. Si vero, vt confido, ad Sanctae fidei et Theologiae regulas, cuncta, dignitate ſicut Epiſcoporum, ſic et illorum Principis digna, ſcripſi, ea ſint Epiſcopi animarum noſtrarum IESV CHRISTI honori et gloriae conſecrata.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIONES THEOLOGICAE.

I. Antecedit dignitate reliquas facultates ſcientificas naturales theologica. *Contra Pſeudo-politicos.*

II. Primum illius principium eſt Verbum Dei Scriptum, et dein Traditum : *contra Gentiles, Deiſtas, Proteſtantes.*

III. Scriptum continetur in LXXII. Libris a Synodo Tridentina recitatis : *contra Proteſtantes et alios varios haereticos.*

IV. Laudatos Libros ſubſtantialiter incorruptos complectitur noſtra Vulgata. *Contra Eosdem.*

V. Cum multa in Scripturis occurrant obſcura, etiam fidem reſpicientia, diſtinctus quidam controuerſiarum judex dari et admitti debet : *contra Eosd. Proteſt.*

VI. Illum male cum aliis Brentius conſtituit Principem politicum.

VII. Magis inepte Lutherus ſpiritum priuatum in ſubſidium vocat.

VIII. Relinguendum hoc officium verae Chriſti Eccleſiae : *contra eosd.*

IX. Haec ſola eſt Eccleſia Romano-Catholica : *contra omnes HH.*

X. Iſta a Chriſto fundata eſt, vt ſemper viſibilis, infallibilis et indefectibilis eſſe debeat, ac proinde theologo certum praebeat argumentum. *Contra Proteſt.*

XI. In eadem hierarchicus Ordo ab eodem Saluatore fuit conſtitutus : *contra Eosd.*

XII. Principem locum in hac diuinitus conſtituta hierarchia obtinent Epiſcopi, veri Apoſtolorum ſucceſſores : *contra Eosd.*

XIII. Eos inter eminet auctoritate Romanus Pontifex tanquam Succeſſor Principis Apoſtolorum : *contra Eosd. ſicut omnes alios baereticos.*

XIV.

Digitized by Google

XIV. Penes Papam, itemque reliquos Epiſcopos reſidet poteſtas iudicatiua. *Contra Eosd. et Pſeudo-politicos.*

XV. Haec poteſtas concludit cauſas, quas ad Principis ſecularis tribunal trahere fas non eſt.

XVI. Nihilominus Principibus tanquam Eccleſiae Aduocatis ac Canonum Tutoribus iura quaedam in ea deferimus.

XVII. Si iudicium circa res fidei ſit moraliter omnium Epiſcoporum, non tantum exterius ei acquieſcere debent fideles, ſed et internum mentis aſſenſum accomodare: *C. Ianſenii fautores etc.*

XVIII. Hac de cauſa infallibilis auctoritatis eſt Concilium Oecumenicum: *C. Nouatores.*

XIX. Hoc vt conuocet Imperator, minime requiritur: *C. Eosd.*

XX. Minus exigitur, vt ille eidem interſit, ac praeſideat: *C. Eosd.*

XXI. Minus cohaerere videtur doctrinae Catholicae ſententia Fagnani et aliorum, qui Epiſcopos conſiliarios, non vero iudices in Conciliis affirmant.

XXII. Concilia particularia maximi habeat theologus, etſi *per ſe* inde argumentum indubium non hauriat.

XXIII. Sedulus voluat monimenta ſanctorum Patrum, quamuis et iſti ſeorſim non omne eximant dubium.

XXIV. Conſpirantibus vero omnibus Patribus in vnum dogma de hoc ambigere nefas eſt.

XXV. Demum theologus tanquam adminicula auctoritatem Doctorum, Theologorum, Cononiſtarum, ſanam philoſophiam, ſobriam criſin, hiſtoriam praeſertim eccleſiaſticam cordi habeat:

XXVI. Dei exiſtentia demonſtratur: *contra Atheos.*

XXVII Sicut eiusdem vnitas: *cont. Politheos.*

XXVIII. Omnis corporis is expers, puriſſimus Spiritus eſt: *con. Antropomorphitas.*

XXIX. Eleuatus mentis oculus eumdem contemplari valet: *contra Armenos etc.*

XXX. Eleuatio haec fit per lumen gloriae, quod inepte dicitur accidens abſolutum.

XXXI. Viſio intuitiua Dei meritis proportionatur: *cont. Nouat.*

XXXII. Satim a morte conceditur animabus plene purgatis: *contra Chiliaſtas.*

XXXIII. Regnum millenarium inter fabulas relegatur: *cont. Eosd.*

XXXIV. Deus in natura vnus, in perſonis trinus eſt: *cont. Socinian. et alios.*

XXXV.

Digitized by Google

XXXV. Pater eſt ingenitus, Filius vnigenitus, Spiritus S. procedens: *cont. Eoſd.*

XXXVI. Et quidem poſtremus a Patre et Filio ſimul procedit: *c. Graecos Schiſmat.*

XXXVII. Completae ſunt prophetiae, quae in veteris Teſtamenti paginis Meſſiam ſpondebant. *contra Iud.*

XXXVIII. Id potiſſimum comprobatur oraculis Iacobi Geneſ. 49. et Danielis cap. 9.

XXXIX. Vt autem conuincens ſit prius oraculum, ad ſolam tribum Iuda referendum eſt.

XL. Meſſias iſte eſt Chriſtus Ieſus Nazarenus: *cont. Iud. Mahumet.*

XLI. Qui eſt verus Deus: *c. Eoſd. et alios HH.*

LXII. Verus item homo: *c. Phantaſ.*

XLIII. Vt duplex ſit eiusdem natura diuina et humana inconfuſa: *c. Eutychet.*

XLIV. In vna perſona diuina: *c. Neſtor.*

XLV. Hinc B. Virgo appellari meretur Deipara: *c. Eoſd.*

XLVI. Sicut duplex eſt in Chriſto natura, ita et duplex operatio: *c. Monothelit.*

XLVII. Chriſtus filius Dei naturalis dicitur et eſt: *c. Felicem et Elipand.*

XLVIII. Ideoque cultu latreutico adorandus.

XLIX. Duliae cultus rite Sanctis defertur: *c. Nouat.*

L. Exiſtunt Angeli, ſubſtantiae ſpirituales: *cont. Saduc.*

LI. Inter alia officium illórum eſt, vt hominibus tutelares aſſiſtant: *cont. Caluin.*

LII: Praeter gratiam efficacem in ſtatu naturae Lapſae, etiam ſufficiens datur.

LIII. Confundenda haec non eſt cum gratia parua Ianſenii.

LIV. Sicut nec efficax per delectationem victricem a Ianſenio aſſertam rite explicatur.

LV. Vt opus quoddam ſupernaturaliter bonum ſit, gratiae requirit influxum: *contra Pelagianos.*

LVI. Hac autem opus non eſt, vt actus naturaliter tantum ſit honeſtus.

LVII. Sola iuſtitiae Chriſti imputatio hominem *habitualiter* ſanctum et iuſtum non reddit: *c. Proteſt.*

LVIII. Nec ſola peccatorum remiſſio: *c. Luth.*

LIX. Sed id praeſtat gratia ſanctificans animae inhaerens: *c. Eoſd.*

LX. Inepte Catholicorum quidam ſine fidei praeiudicio hanc gratiam accidens abſolutum eſſe negari non poſſe, affirmant.

Digitized by Google

LXI. Amitti poteſt gratia habitualis : *c. Caluin.*
LXII. In omnibus aequalis haud eſt : *c. Nouat.*
LXIII. Adultus, ſi vitam aeternam conſequi velit, bonis operibus exerceatur : *cont. Eosd.*
LXIV. Vt autem opera ſint meritoria vitae aeternae, praeter alia motiuum caritatis exigunt.
LXV. Nullum extat praeceptum, vt omnia prorſus opera in Deum per caritatem theologicam referantur.
LXVI. Humanus actus gaudeat libertate, neceſſum eſt: *c. Nouat.*
LXVII. Dirigatur immediate per conſcientiam ad Canones probabilioriſſimi.
LXVIII. Malum itaque admittit actum, ſequens ſententiam probabilem, relicta probabiliori legi fauente.
LXIX: Imo et amplectens aeque probabilem, tutiori relicta.
LXX. Neque tamen ad tutiora operantem ſemper adſtringimus.
LXXI. Lex, qua mediate actus humanus dirigitur, eſt praeceptum commune iuſtum et ſtabile ab eo promulgatum, qui curam habet communitatis.
LXXII. Ad eius valorem promulgatio requiritur.
LXXIII. Non item populi acceptatio.
LXXIV. Praecepta diuina poſitiua in nouae et antiquae Legis rite diſcriminantur, vt vtriuſque fuerint et ſint ſancta : *cont. Manich.*
LXXV. Modo tamen mortifera eſt Legalium obſeruatio : *c. Iud.*
LXXVI. Condere leges competit Principi ſeculari : *cont. Anabapt.*
LXXVII. Item Superiori eccleſiaſtico : *cont. Wicleff. et Huſſ.*
LXXVIII. Iſte, abſolute loquendo, actum mere internum praecipere poſſet.
LXXIX. Indirecte ſuis legibus quilibet Legislator adſtringitur.
LXXX. Si ſobria fuerit, iuſtam dicimus legem amortizationis.
LXXXI. Lex praeſcriptionis, pro foro interno quoque, pariter iuſta eſt.
LXXXII. Cenſus item germanicus nihil iniuſtitiae permittit.
LXXXIII. Damnamus autem pactum antichreſeos.
LXXXIV. Sicut et monopolium citra grauem cauſam conſtitutum.
LXXXV. Peccat iudex damnans probatum reum, quem ſcit innocentem.
LXXXVI. Item ordinans monomachiam purgationis gratia.
LXXXVII. Originale peccatum omnes ab Adamo deſcendentes contrahunt : *cont. Pelag. Albanenſ. etc.*
LXXXVIII. Excepta Beatiſſima Virgine.
LXXXIX. Praeter peccatum mortale admitti quoque debet et veniale : *c. Proteſt.*

XC.

Digitized by Google

XC. Concupiſcentia ex ſe peccatum non eſt: *cont. Eosd.*

XCI. Datur infernus, in quo mortalis culpa aeternum punitur: *contra Le Philoſophe de Sans-ſouci etc.*

XCII. Datur et purgatorium, in quo venialis culpa, ac etiam poena mortalibus peccatis quoad culpam remiſſis debita expiatur: *contra Proteſt.*

XCIII. Vere et proprie dicta dantur in noua Lege Sacramenta: *c. Schvvenckfeld.*

XCIV. In eorum collatione recte ad inſtitutionem Eccleſiae vſurpantur cerimoniae: *cont. Nouat.*

XCV. Vt validum ſit Sacramentum, in Miniſtro probitas non requiritur: *cont. Donatiſt.*

XCVI. Imo nec fides: *cont. Eosd.*

XCVII. Chriſtus in Euchariſtia realiter praeſens eſt: *c. Zvvingl. Calvin.*

XCVIII. Nullum extat praeceptum diuinum, quod omnes adſtringit fideles ad ſumendam duplicem ſpeciem: *cont. Proteſt.*

XCIX. Materia confeſſionis neceſſaria ſunt circumſtantiae intra eamdem ſpeciem phyſicam notabiliter aggrauantes.

C. Inter poenitentis actus neceſſarios eſt etiam amor Dei beneuolus ſaltem initialis.

APPENDIX CRITICO-APOLOGETICA.

I. S. Hieronymum impie criminatur Witakerus tanquam ſocium Aerii in haereſi.

II. Peruerſe Sarauia eumdem errorem tribuit S. Auguſtino.

III. Ioannes Raynoldus S. Gregorio.

IV. Item S. Anſelmo.

V. Praecipiti iudicio Aerianis Michael Medina adnumerauit S. Ambroſium:

VI. S. Chryſoſtomum:

VII. Theodoretum:

VIII. Oecumenium:

IX. Theophylactum.

X. Pro eadem falſitate tuenda male recurrit Caldervvod ad Alexandrum III.

XI.

Bayerische Staatsbibliothek München

Digitized by Google

XI. Iniurioſe hic ipſe Caldervvood aereas vocat reſponſiones S. Epiphanii, quas hic Aerio oppoſuit.

XII. Antiquorum Eccleſiae Patrum nemo unquam docuit, poteſtatem Epiſcoporum immediate a Pontifice deriuari.

XIII. Genuinum vindicamus verſum ſeptimum ex I. Ioan. Cap. V. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spiritus ſanctus, et hi tres vnum ſunt.*

XIV. Symbolum Apoſtolorum his tanquam auctoribus adiudicamus.

XV. Abiudicandum autem veriſimilius Symbolum *Quicunque* S. Athanaſio.

XVI. Vocem *homouſion* rite Symbolo addiderunt Patres Nicaeni.

XVII. Eccleſia eidem Symbolo li *filioque.*

XVII. Concilio Nicaeno, nomine Papae, praefuit Oſius Cordubenſis.

XIX. Si Liberius Papa formulae cuidam ſubſcripſit, inde tamen perfidiam Arianam non eſt profeſſus.

XX: Wolzogenius peruerſe imputat S. Athanaſio, hunc docuiſſe ſolam vnitatem voluntatis inter Patrem et Filium.

XXI. Verbi Diuinitatem profeſſus eſt S. Iuſtinus.

XXII. Itemque ſanctus Cyprianus.

XXIII. Patres Ariminenſes ſaltem omnes Haereticidici non poſſunt.

XXIV. Immunes ſunt ab errore Apollinariſtarum anathematiſmi S. Cyrilli.

XXV. Neſtorius vero docuit duplicem in Chriſto perſonam.

XXVI. Legitime is fuit in Concilio Epheſino condemnatus.

XXVII. Tria capitula merito damnauit Synodus quinta.

XXVIII. S. Stephanus S. Cypriano obſiſtens non omnem prorſus probauit baptiſmum, ſed eum tantum, in quo vera materia et forma fuerit adhibita.

XIX. Characteri, qui in Ordinatione imprimitur, non obſiſtunt facta Formoſi et Conſtantini Romanorum Pontificum.

XXX. Conſtitutio Franciſani Ordinis, Tyrannicidium tanquam neſandum ſcelus abominans, ſanctiſſima eſt, Scripturae, et Patribus, ac praeſertim D. Thomae Aquinati conformis, quem inique tanquam defenſorem principem aduerſae ſententiae tradunt libri intitulati: Reponſe á un libel etc. et: Lettre d'un Homme du monde.

F I N I S.